
FLAVII CHERVBINI
ROMANI I. V. D.
Et Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Via Lata de Vrbe
CANONICI
COMPENDIVM BVLLARII
A LAERTIO CHERVBINO PATRE

Nuper editi

A CLEMENTE VIII. VSQVE AD PAVLVM QVINTVM.

Tomus Tertius.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Antonium Pinellum. MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX

Nominum duorum Romanorum Pontificum, quorum Conſtitutiones in hoc Tertio Tomo continentur in Compendium reſtrictæ, vnà cum illarum numero.

CLEMENS VIII.
ITALVS
Creatus Romæ Anno 1592.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1595.

AD Romani Pontificis, & infra, pagina 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. vetuit in ſua conſtitut. 35. de qua ſupra pagina 44. t. 2. alienari, & infeudari Ciuitates, & loca S. R. E. §. 1. Gregorius XIII. & Succeſſores approbarunt, §. 2. Innocentius IX. in ſua conſt. 1. de qua ſup. pag. 147. t. 2. dictam prohibitionem ampliauit, §. 3. Hic Pont. eas approbat, & iurat, §. 5. Poſtea ſubdit, Gregorium XIV. declaraſſe dictam Bullam Pij V. non intelligi de feudo non deuoluto, ſi euidens extet vtilitas, vel neceſſitas illud iterum infeudandi. §. 6. Quam declarationem ipſe reuocat, § 7. Prohibitionemque Pij V. caſus veræ etiam vtilitatis, & neceſſitatis comprehendere declarat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Vtilitas euidens, de qua in § 6. quæ diceretur? RESP. Illa, quæ ex valore bonorum, & eorum fructuum collectione reſultat cap. Vi ſuper. 8. §. 1. vbi Anan. & alij notant de reb. Eccleſ. non alien. & cenſuit Rota in deciſ. Seraphin. 480. in ſuis Nouis nu. 7. & ſeq.

Schol. ſecundum.

Quæro. Quanta autem eſſe debet eiuſmodi vtilitas? RESP. Si attenderetur ius ciuile, poſſet dijudicari ex regulis, quæ traduntur in auth. Perpetua, vbi Bart. & alij C. de Sacroſ. Eccleſ. Sed quia videtur potius attenden. eſſe ius Canonicum in hoc articulo quam lege ciuiles, vt probat Panormit. in cap. Eccleſia 10. de Conſtitut. num. 28. verſ. Ego in hoc, Dec. qui alios colligit num. 91. & Caualcan. deciſ. 46. lib. 1. num. 24. Et Canones requirentes euidentem vtilitatem non explicant quæ, & quanta debeat eſſe, propterea Iudicis arbitrio id cenſetur remiſſum, penſata rei, & fructuum, necnon vicinitatis, futurique euentus, & aliarum qualitatum conditione Rodoan. de reb. Eccleſ. non alienan. rubr. 19. de cauſ. vtilit. num. 168. Caualcan. d. deciſ. 46. lib. 1. num. 130. & ſeqq. necnon Rota in deciſion. Braui 664. par. 1. Diuerſor. num. 2.

CONSTIT. II.

Edita Anno 1592.

QVæ ſalubri Prædeceſſorum noſtrorum prouidentia, & infra pagina 2. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recenſet Sixtum V. trecenta centena millia nummum aureorum in ſua conſt. 31. de qua ſupra pag. 110. t. 2. & in alia 69. pag. 129. & in alia 80. pag. 134. §. 1. in Arce Sancti Angeli perpetuò aſſeruanda poſuiſſe, & inde non. niſi ob quaſdam S. R. E. neceſſitates, depromi decreuiſſet § 2. Eaſdemque ſanctiones hic Pont. approbat, vouet, iurat, ac perpetuò obſeruari præcipit, §. 2. Sanctionem pœnalem apponit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore nummus aureus apud Romanos eſſe cœpit? RESP. Anno ab Vrbe condita quingenteſimo, quadrageſimo ſexto ante CHRISTI natale anno ducenteſimo duodecimo, vt poſt alios ſcribit Couarr. in ſuo Opuſc. de Numiſmat. cap. 3. num. 1. Vbi etiam inquit ſexageſimo ſecundo anno antea nummum argēteum fuiſſe percuſſum, quod narrat etiam Plinius lib. 33. cap. 3. & Petr. Greg. Tholoſ. lib. 35. Syntagmat. iur. par. 3. nu. 3.

Schol. ſecundum.

Quæro. Arx iſta cur S. Angeli nomen ſortita eſt? RESP. Quia Sācti Gregorij temporibus circa annum DXCIII. Angelus ſuper Arce ipſa, quæ Hadriani Moles antea dicebatur, ſtrictum muctonem vagina recondere viſus eſt, in ſignum Diuinæ iræ, ſiſtentiſq; iam pridem peſtilentiæ optati finis, a DEOq; multiplici Populi ſupplicatione poſtulati.

III.

Edita Anno 1592.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & infra, pagina 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reuocat quaſcunque Conſeruatorum deputationes à Sede Apoſtolica conceſſas, ſi illi non habent requiſita deſcripta in Extrauag. 11. Bonifac. VIII. de Reſcript. in 6. §. 1. Et quaſcunque Conſeruatorum electiones in Concilijs Prouincialibus, aut Diœceſanis non factas iuxta

decretum Concilij Tridentini, §.2. Non tamen quoad negotia cœpta, vel quoad ea, in quibus illæ suum effectum sortitæ sunt, seu executionem habuerunt, §.3. Conseruatoresque de cætero à Sede Apostolica concedendæ, illis solummodo dirigantur, qui qualitates habeant cōtentas in dicta extrauag. Bonif. VIII. quique in præfatis Concilijs electi sint, §.4. Et ita iudicati mandat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quid est quod fertur, decretum à Greg XIII. circa huiusmodi Conseruatores, quod tamen in eius constitutionibus in Bullario non perlegi?

RESP. Gregorius XIII. nihil egit in aliqua eius constitutione, quam Genitor meus viderit, vt mihi asseruit, sed eius iussu, Congregatio Cardinalium super interpretatione Concilij Tridentini declarauit, quòd Regulares omnes in Ciuitatibus Italiæ existentes Conseruatores sibi eligerent, coram quibus conuenirentur, ac semel electos nonnisi in Capitulis Prouincialibus mutarent, eorumque nomina intra mensem à die electionis, Episcopis locorum Ordinarijs indicarent, alioquin coram ipsis Ordinarijs conuenire possent, teste Confect. in summario Matet. priuil. Ordin. Mendic. in tit. de Priuileg. Conseruatur. cap. 9. ac Leon. in suo Thesauro for. Eccles. par. 2. cap. 18. num. 104. & Quaranta in sua summa in §. Priuilegia Regularium vers. Insuper sciendum, ac Roder. de Quæst. Regul. t. 1. q. 65. artic. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Conseruatoria extinguitur morte?

RESP. Non, vt pluribus ostendit Roderic. mox citatus artic. 6.

IIII.

Edita Anno 1592.

INfirma æui conditio sæpe efficit, & infra, pagina 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Ordinem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ab immemorabili tempore citra consueuisse in diebus S. Catherinæ & Cinerum, ac Cœnæ Domini omnes in Ecclesia præsentes genuflexos post confessionem coram omnibus à Sacerdotibus recitatam de more absoluere, & benedicere, §. 1. Sed quia nescitur à quo Pōtifice hæc ei facultas concessa fuerit, & solùm ex traditione obseruatur, §. 2. Papa eamdem facultatem approbat, & denouo concedit, §. 3. Quibuscunque non obstantibus, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Consuetudo immemorabilis præstitit ne huic Ordini iustum titulum, iustamque causam circa eiusmodi benedictiones?

RESP. Affirmatiuè ad ea, quæ censuit Rota in decis. Putei 206. lib. 1. num. 4. & Seraphin. decis. 303. in suis Nouis ad finem.

Schol. secundum.

Quæro. Huic Papæ assertioni de eiusmodi consuetudine non ne plenè credendum?

RESP. Proculdubiò, tùm quia nemini præiudicialis est, tùm etiam quia post emissam assertionem consuetudinis super ea disponit clem. 1. cum ibi not. de Probat. Alex. consi. 13. lib. 5. num. 2. Rota in decis. Seraphin. 1498. nu. 5.

V.

Edita Anno 1592.

INter cæteras animi nostri curas, & infra, pagina. 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IV. in sua const. 43. de qua sup. pag. 12. t. 2. pœnas maleficiorum Status Ecclesiastici, præterquam damnorum datorum Reu. Cameræ Apostolicæ applicauit, §. 1. Sixtus V. in sua const. 93. de qua sup. pag. 138. to. 2. eiusmodi applicationem confirmauit, & ampliauit, §. 2. Hic Pontif. prædicta comprobat, omnesq; pœnas apud Depositarium dictæ Cameræ persolui iubet, §. 3. & 4. Iudicibus prædictorum obseruantiam iniungit §. 5. Depositario formā faciendæ solutionis, & computorum redditionis præscribit. §. 6. Notarijs harum pęnarum retentionem prohibet, §. 7. Reos solùm Depositario soluere iubet, §. 8. Contrauenientibus pęnas imponit, §. 9. Executores huius constit. deputat. §. 10. Contrarijs derogat, §. 11. Transumptis credi mandat, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Damnum datum, de quo habetur in §. 1. vel potius furtum dicitur, vuas ex vinea alterius accipere, & comedere?

RESP. Damnum propriè erit, furtum verò si eas asportauerit, vel deuastatas ibi dimiserit l. Si fetms 27. §. Si Oliuam, & ibi Alberic & l. Qui occidit 40. §. Si quis alienum, & ibi Florian. ff. Ad leg. Aquil. Vitalin. in titul. de Damn. dat. n. 41. & Lanfranc. decis. 97. Nat. cons. 26. nu. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Si non fuissent exceptæ pœnæ damnorum datorum, venissent forsan appellatione pęnarum maleficiorū?

RESP. Venissent profectò, si pœna aliqua pro damno dato esset imposita, vltra damni refectionem. Si quidem appellatione maleficiorum, omne malefactum continetur l. 4. ff. de Action. & Obligation. Vitalin. vbi sup. n. 62.

VI.

Edita Anno 1592.

QVæ ad subleuationem grauaminum, & inf. pagina 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnullę Communitates Status Ecclesiastici multos census vendebant, ad rationem octo, nouem, & decem scutorum pro centenario, idq; onus minimè ferre poterant in pręcm. Omnes ergo census vsque modo ab his Communitatibus venditos reducit ad septem pro centenario, §. 1. Liberatque omnes obligatos à solutione maioris census, §. 2. Et ita, & non aliter iudicari iubet, §. 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Iure communi, aut Pij V. aut alterius Pontificis constitutione fuit vnquam taxatum censuum eiusmodi pretium?

RESP. Taxatum nunquam fuit, & vix generaliter taxari posset, quia iuxta Prouinciarum mores, & temporum qualitates, pecunia in pretio est, Nauar. in Comment. de Vsur. sub num. 104. Surd. cons. 261. lib. 2. nu. 34.

Schol. secundum.

Quæro. Princeps alius, quàm Papa in sua Prouincia, posset ne taxationem eiusmodi census edicere?

RESP. Hunc articulum affirmatiuè resoluit Nauar. cons. 11. lib. 3. de Empt. & Vendit. iuxta impressionem de anno 1610. Venetijs, num. 2.

VII.

Edita Anno 1592.

REligiosos Viros, sicut bonorum gradus, & infra, pagina 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Greg. XIII. in sua const. 62. de qua sup. pagina 99. t. 2. fauores Religiosis Ordinis S. Dominici extra dictū Ordinem quærere, & gradus per emendicatos fauores cōcedi prohibuisse, §. 1. Quam ipse approbat. §. 2. Et appellatione gratiarum, gradus, honores, dignitates, & officia, administrationes, & Prælaturas comprehendi, §. 3. Contrauentionemq; certo modo probari, § 4. Contrarijs derogat, §. 5. Et hanc Bullam in quibuscumque Capitulis publicari, ac inter Ordinis statuta describi præcipit, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est, quod ambire licet, vt per sæpè dici audimus?

RESP.

R E S P. Virtute semper licet ambire, sed non fauorib. Cicer. Offic. lib. 1. Qui etiam lib. 3. de Legibus, inquit, quòd si fauorum ambitus tileat, tunc in suffragijs quæritur, quid optimi sentiant viri. Hæc eadem, & alia comprobat Tiber. Decian. tom. 8. sui tractat in tit de Ambitu. cap. 21. vbi ex Plauto subdit sub num. 24. *Sat habes fautorum semper qui rectè facit.*

Schol. secundum.

Quæro. Alijs ne etiam Religiosis indistinctè ambitus iure Pontificio iam fuit interdictus?

R E S P. Fuit proculdubio à Symmac. I. interdictus in cap. Nullus itaque 118. caus. 1. quæst. 1. Innoc. iij. in c. Officij 38. de Elect. ac Bonif. viij. in cap. Quorundam 24. eodem tit. in 6. vbi glos. & DD. concordantes canones allegāt. Antiquiores autem ciuiles leges contra ambitum latas habes apud Tiber. Decian. vbi sup. cap. 22.

VIII.

Edita Anno 1592.

SPeculatores domus Israel, & infra, pagina 6. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ob plurimas, quas recenset, causas decreuit per seipsum nonnullis adhibitis S. R. E. Cardinalibus, & Episcopis totū Vrbis Clerum, Ecclesias, Conuentus, & loca pia visitare, §. 1. Hortatur omnes, vt vitæ, & morum emendatione, & reformatione hanc eius visitationem præueniant, §. 2. Indicit orationem quadraginta horarum pro bona directione huius visitationis, §. 3. Hortatur insuper singulos ad feruenter orandum, §. 4. Elargitur indulgentias sic orantibus, §. 5. Hortaturq; omnes ad feruentius Deo inseruiendum, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Tenebatur forsan hic Pontifex ex præcepto diuinæ legis ad hanc visitationem?

R E S P. Non tenebatur per seipsum ob maximas, & assiduas, quibus Sedes Apostolica premitur, curas, & solicitudines, vt probat Marian. Soccin. in suo tract. de Visitat. num. 6. vers. Meritò, Et ideo consueuerunt Romani Pontifices hoc munus Ecclesias Vrbis visitandi suis Vicarijs delegare, vt videre est in constit. 36 Paul. iij. sup. to. 1. pag. 128. ad cuius formam alij Pauli iij. successores, alias suis Vicarijs literas dederunt.

Schol. secundum.

Quæro. Cur in § 2 specificè potius hortatur omnes, vt vitæ, & morum emendationem, & reformationem, quam aliter visitationem præueniant?

R E S P. Vt faciliùs sequatur finis dictæ emendationis, cui principaliter visitatio dirigitur cap. Irrefragabili. 13. de Offic. Ordinat. cap. 19. Sanè de Censibus in 6. cum similib. Rota in decis. Seraphin. 475. num. 2.

IX.

Edita Anno 1592.

EA semper Sedis Apostolicæ pro salute animarum cura, & infra pag. 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat à Summis Pontificibus multa instituta fuisse Seminaria, & Collegia ad alliciendos vniuersi Orbis homines ad cultum Catholicæ Religionis in proœm. Eorum modo alumnos hortatur, vt omnium Studiorum cursu completo de sua, & eorum, qui eorum fidei committuntur, salute laborent, nec se ad illecebras conuertant, sed in omni virtutū genere perseuerent, ibid. & in §. 2. Et in quadā per Rectores eis designan. hebdomada quarta, & sexta feria, ac Sabato ieiunent, præuiaq; Sacramentali confessione Eucharistiam in sequenti die Dominico, vel alio die subsequentis hebdomadæ arbitrio Confessarij sumant, & pro S. R. E. exaltatione, hæresum extirpatione, Christianorum Principum concordia orent, sibiq; Pontifici Dei gratia præsidiū implorent, §. 3. Quæ vt libentius impleant Indulgentias eisdem elargitur, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si non communicaret quis die significata in §. 3. sed alia illius hebdomadæ prodesset hęc indulgentia?

R E S P. Non, quia dies præstitura dicitur de forma quæ non impletur per æquipollens Petrus Greg. Tholos. lib. 2. Syntagm. iur. cap. 9. de Indulg. nu. 4. & in puncto Nauar. consil. 35. de Pœnit. lib. 5. in impressis Venetijs de anno 1610.

Schol. secundum.

Quæro. Dum in §. 3. præcipitur oratio satis ne erit corde orare?

R E S P. Sufficere probat S. Hieronymus lib. 3. Comment. ad cap. 5. Epistolæ ad Ephesios, cuius verba referuntur in cap. 1. dist. 92. Et sic in puncto scribit Nauar. in tractat. de Iubil. & Indulg. in explanatione Bullæ Greg. xiij. in vers. Preces fuderint. num. 48. pag. mihi 106.

X.

Edita Anno 1592.

PRo commissa nobis à Domino, & infra, pagina 8. *Item*, Cum per constitutionem folio 12. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vt rectè administrentur bona Communitatum Status Ecclesiastici, præcipit tabellam expensarum cuiusque Communitatis quolibet anno confici, §. 1. Et à Gubernatoribus locorum approbari §. 2. Et hoc primo anno coram Camerario, & Thesaurario Papæ, §. 3. Et gratis ab officialib. hęc fieri, §. 4. Approbatam ad eius communitatem remitti, & publicè asseruari, §. 5. Et nihil vltra contenta in tabella expendi absque licentia Cameræ Apostolicæ, vel vrgente necessitate Gubernatoris loci, §. 6. Officialesque Communitatum finito officio syndicari, Indicem debitorum Gubernatoribus tradi, & ab earum Ministris exigi, §. 7. Quod in fine anni superest, in certas causas hic expressas erogari, §. 8. Fiscum insuper cum loci Gubernatore Officiales Communitatum ad reddendam rationem cogere, §. 9. Gubernatores, & fiscum in prædictis negligentes coerceri, §. 10. Et gratis hæc agere debere, §. 11. Interdicit Communitatibus bonorum alienationem, necnon obligationem, §. 12. Oratorumque ad Sedem Apostolicam absque licentia transmissionem, §. 13. Munerum largitionem, etiam erga S. R. E. Cardinales, §. 14. Expensas quascunque, & quauis de causa, vel prætextu, quamuis in honorem benefactorum, fiendas, §. 15. Prohibet ad officia Communitatum admitti earum debitores, bonorum occupatores reddendis eis rationibus obnoxios, §. 16. Iubet locationes, vel affictus idonea cum cautione, & cum pacto prohibitiuo cuiuscunque defalci detrahi. §. 17. Depositarios non recipi absque idoneo fideiussore, §. 18. Exceptiones omnes irritat, §. 19. Et ita, & non aliàs iudicari mandat, §. 20. Contrauenientibus pœnas infligit, §. 21. Constitutionem Bonif. viij. & Greg. xiij. contra dantes, aut aliquid accipientes pro habenda gratia, vel iustitia contra prædictos extendit, §. 22. Debitores Cōmunitatum mandat ad soluen. manu regia compelli, §. 24. Contraria quęcunq; non obstare decernit, §. 25. Hanc sanctionē in Vrbe publicari præcipit, §. 26. Et in libris Statutorū describi, & quotannis in publicis Consilijs legi iubet, §. 27. Gubernatoresq; & alios ante admissionē ad officia hanc constitutionē iurare mādat, §. 28. Deputat Cardin. ad agnoscendas causas appellationū in prædictis in cōstit. subseq. §. 1. Defalcationumq; remissionum, & exemptionum ibid. Cogendūq, consanguineos debitorum Cōmunitatum ad eorū bona redimendum, §. 2. Contrarijsq. derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Benefactoribus ex causa remunerationis poterit ne aliquid donari?

RESP. Videtur posse, quia huiusmodi donatio non est propriè donatio, neque Communitatibus damnosa, & verbum *benefactoris* in §. 15. non est appositum in prohibitione donationis, sed in prohibitione expendēdi aliquid

in eius honorem ita hanc constit. intelligit Gratian. Discept. Forens. lib. 2. cap. 202. num. 8. Ab ea tamen intelligentia discedit num. 10. & rectè quidem, quia aperiretur via multis fraudibus, prætextu remunerationis, & ita hodie seruatur.

Schol. secundum.

Quæro. Qui mano regia procedit contra debitores commonitatis, vt in §. 24. poterat non ducto de credito illos, vti de fuga suspectos, carcerare?

R E S P. Non, quia dicta clausula tollit solemnia tantum non substantialia iudicij, ita hunc casum in terminis huius Bullæ decidit Rota coram Sacrato in vna Forolivien. Nullitatis die 20. Maij 1613. vbi hoc ipsum tenet, si Communitas non instat pro carceratione, vel debitorem non iurat suspectum, aut non docuit de deterioratione illius.

X I.

Edita Anno 1592.

ILlius vices, licèt immeriti, gerentes, & infra, pag. 13. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Pius IV. post alios Prædecessores in sua constitutio. 21. de qua sup. pag. 7. tom. 2. Duella in Statu Ecclesiastico fieri prohibuit, §. 1. Alios autem Principes Christianos Imperatore, & Regibus inferiores in suis dominijs illa permittentes, fauentesq; adstantes, & interessentes, chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes maioris excommunicationis, & si Ecclesiastici fuerint, priuationis dignitatum, & officiorum, & inhabilitatis ad illa pœnis innodauit. ibid. Concil. Trident. sess. 25. capit. 19. Imperatorem, Reges, & alios locum ad monomachiam inter Christianos concedentes eo ipso excommunicauit, &c. Pugnantibus autè grauiores pœnas imposuit, §. 2. Gregorius xiij. Concilij sanctionem ad duella etiam priuatim commissa extendit, §. 3. Hic Pont. eas constit. & Concil. approbat, §. 4. Et ad loca vbique terrarum, & ad personas etiam in Castris, seu propugnaculis militantes, etiam vbi Christianæ Fidei hostis furor grassatur, vel in dominijs per eum occupatis, &c. §. 5. Scripta, quæ manifesta nuncupantur quoquo modo emananda prohibet, §. 6. Pœnas in omnes contrauenientes, & etiam singulare certamen ex cōposito ineuntes, innouat, §. 7. Principes ad duellorum exterminationem, & delinquentium punitionem hortatur, §. 8. Transumptis huius constit. credi iubet, §. 9. In Vrbe eam publicari, & publicatam omnes afficere decernit, §. 10. Sanctionemque pœnalem adiungit, §. 11. Publicatio subsequitur in fine.

Schol. primum.

Quæro. Si incontinenti orta inter aliquos rixa vnus alterum, iracundia motos, ad dimican. in certo loco inuitet, & incontinenti ibi dimicent, incidunt in has pœnas?

R E S P. Non, quia hæc sanctio requirit animum deliberatum, attendendo illud verbum, *ex composito*, & nulli dubium, quòd iracundiæ impetus veram animi deliberationem tollit, ita hanc constitutionem post Ioseph. Ludouic. in decis. Lucens. 11. nu. 11. interpretatur Farinac. quæstio. 119. num. 24. vbi tamen culpa Impressoris verbū negatiuum deficit, & ideo clarius habetur hoc idem in eius conf. 9. num. 35. Tuscul. in verb. Duellum conclus. 803. numero 17. Et consonant illa verba consil. 78. Greg. xiij. de qua sup. pag. 104. tom. 2. *ex condicto*, quæ sumpta videntur ex cap. 1. de Torneam.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis firmiter in animo deliberauit duellare, incidit in istas pœnas?

R E S P. Proculdubio non incidit, quia ista, & similes Prædecessorum constitutiones non puniunt duella mentalia, sed realia, Nauar. cons. 1. lib. 5. de Purgat. vulg. nu. 2.

X I I.

Edita Anno 1592.

PAstoralis nostri muneris ratio & infra, pagina 15. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Eximit Congregationem Monachorum B. MARIAE Fulien. Ordinis Cistercien. à iurisdictione, & superioritate omnium prælatorum dicti Ordinis, §. 1. Recipitque sub protectione Sedis Apostolicæ, §. 2. Elargitur eidem quæcunque Ordinis priuilegia, §. 3. Decernit particulares eius ordinationes, & non alia Ordinis instituta seruari debere, §. 4. Præcipit Prælatis Ordinis, ne desuper se intromittāt, §. 5. Apponit clausulas huic indulto præseruatiuas, §. 6. Et decretum irritans, §. 7. Remouetq; omnia contraria, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Prælatis Ordinis cur inhibetur ne se intromittant in hac Congregatione?

R E S P. Quia ista Congregatio pro reformatione Ordinis promota fuit, & ideo Ordo posset ei esse impedimento, vel relaxationi, vt ex contextu ipsius met Bullæ dignoscitur.

Schol. secundum.

Quæro. Illi ergo Prælati poterunt ad ipsam Congregationem transire?

R E S P. Non poterunt, si transeant solummodo, vt in Congregationis statu se intromittant; Secus si vt in Congregationis tanquam strictioris obseruantia, & regula viuant, limitata est enim dicta prohibitio, ideo extra eius limites non est extendenda l. Cū seruo 63. ff. de Contrah. Empr. & l. In agris 16. ff. de Acquir. rer. domin. cum similibus.

X I I I.

Edita Anno 1592.

INter cætera cordis nostri desiderabilia, & infra, pagina 16. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat occasione constitutionis 13. Greg. xiij. de qua sup. pag. 82. to. 2. nonnullas lites, præsertim in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ exortas fuisse in procem. Eas ad se auocat, & extinguit, §. 2. Fratres Prædicatores in dictis Regnis, & in processionibus post Canonicos, & Clericos sæculares, & antiquos Ordines Monachales, omnes alios Regulares, tàm mendicantes, quàm non mendicātes cuiuscunque Ordinis incedere debere decernit, etiam monasteria eorundem Fratrum Prædicatorum primò instituta non fuerint ibid. Et ita, & non aliter seruari, & iudicari mandat, §. 3. & seq. Executores deputat, §. 5. Contrarijsq; derogat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Dum primò nominantur Clerici, quàm Monachi in §. 3. nū argui potest, Clericos præcedere Monachis?

R E S P. Optimum est argumentum ab ordine literæ Bald. in l. Conuenticulam 15. Cod. de Episc. & Cleric. nu. 5. Euerard in sua Centur. cap. 1. Et ideo in corpore Decretal. in rubr. Ne Cleric. vel Monach. primò nominantur Clerici, & deinde Monachi.

Schol. secundum.

Quæro. Inter ipsos autem Canonicos quis ordo seruandus?

R E S P. Priori loco incedunt Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & deinde Collegiatarum, Innocent. & alij in cap. Sedes. 15. de Rescript. & in cap. 3. de Sepultur. quos ad hoc citat Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. q. 37. artic. 1. quibus addo Præposit. in cap. Concilia, 7. §. Episcopos sub num. 3. & Turrecrem. nu. 2.

Quæ

XIV.

Edita Anno 1592.

QVæ ad restituendos in pristinum, & infra, pagina 17. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recenset dispositia à Greg. XIII. in sua constit. 58. de qua sup. pag. 97. to. 2. circa Ordinem Monachorum Sancti Basilij, §. 1. & 2. Approbatq; §. 3. Cardinalem eius Protectorem executorem deputat, §. 4. Formam recipiendi Nouitios non obstante Bulla Sixti V. tradit, §. 5. Contraria omnia remouet, §. 6. Exemplis huius Bullæ credi præcipit, §. 7. Sanctionem pœnalem adiungit, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Nouitij, de quibus in §. 5. durante tempore Nouitiatus, obligantur ne ad præcepta Regulæ?

RESP. Non, nisi vt alij Christiani, debent tamen ad hoc suauiter induci, vt probant, & asseuerant Syluester in sua Summ. in verb. Religio. §. 5. quæst. 6. Graff. decis. casuum consc. pat. 1. lib. 3. cap. 5. nu. 13. de Regular.

Schol. secundum.

Quæro. Et ad horas canonicas tenentur?

RESP. Nec ad eas obligantur, quia adhuc non sunt in statu monachali, vel clericali Syluester. in verb. Hora. quæst. 6. num. 3. vers. 6. Nauarr. qui alios cumulat de Orat. & Horis Canon. cap. 7. num. 23. in fine.

XV.

Edita Anno 1592.

IN regendis Populis S. R. E., & infra, pagina 18. Bullarij.

COMPENDIVM.

Instituit Congregationem nonnullorum Cardinalium, quorum duo saltem possint delinquentes, & bannitos gratiare, §. 1. & 2. Et hi, qui gratiam obtinuerint, caueant de se repræsentando sub pœna, & infra tempus ab ipsis Cardinalibus declarandum, vel si inopes erunt ad id se obligent, §. 3. Quinimò eorum consanguinei, & affines propinquiores ad id cogi possint, & eiusmodi non nisi ex speciali gratia Papæ, cassari valeant, ibidem. Instrumentum publici Notarij coram ipsis Cardd. conficiendum has gratias plenè probat, §. 4. Quæ numquam de subreptione, & obreptione notari possint, §. 5. Notariorum mercedem moderatam esse mandat, §. 6. Bullas quibuscunque Legatis, & alijs Officialibus, & Baronibus bannitorum remissionem prohibentes comprobat, §. 7. Eisdem has remissiones iteratò interdicit, §. 8. Easque concedentibus grauissimas pœnas imponit, §. 9. Hanc facultatem Cardinalium ad biennium limitat, §. 10. Gratias obtinentes pœnitentiam salutarem à Confessarijs iniungendam implere decernit, §. 11. Presentium transumptis credi iubet, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Barones S. R. E. de quibus in §. 7. & seqq. habebant hanc facultatem gratiandi capitaliter bannitos?

RESP. Non, quia de gratiandis bannitis pro homicidio extat prohibitio Pij II. sup. pag. 66. t. 1. in eius consti. 8. §. 3. Licèt Farinac. consi. 49. nu. 5 eam generaliter intelligat. Quinimò firmiter credo, quòd nullo pacto illa Bulla suam prohibitionem dirigat contra Barones, sed cōtra Legatos, Gubernatores, & alios quoslibet Officiales. Sed quicquid sit de dicta Bulla, satis est, quòd etiam de iure communi Baronibus recognoscentibus Superiorem non licet capitaliter bannitos gratiare de pœna capitali; secus verò de pœna pecuniaria eorum fisco applicanda l. 4. in fine. ff. de Pen. tradit Peregr. de Iure fisc. lib. 6. tit. 2. n. 2. Thesaur. decis. Pedemont. 21. num. 1. Osasc. decis. 101. nu. 1. & Odd. de Restitut. in integr. quæst. 91. artic. 9. num. 90. & seq. vbi num. 91. limitat in illis Baronibus, vel potius Principibus S. R. E. qui ab ipsa habuerunt iura regalia, & ea exercent.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc facultas nū poterit à Baronibus præscribi?

RESP. Hoc ius tanquam supra legem Principi reseruatum in signum supremæ potestatis non esse præscriptibile probat tex. in l. Competit. 6. in fine, Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. & ita censuit post alios Guido Pap. decis. 416. in princip. & latius Osasch. d. decis. 101. num. 27. & num. 15. vbi ex Ias. testatur de communi.

XVI.

Edita Anno 1592.

AEquitati consentaneum censemus, & infra, pagina 20. Bullarij.

COMPENDIVM.

Conclauistas, qui in Conclaui, in quo ipse Pontifex creatus fuit, creat suos familiares, Sedisq; Apostolicę Notarios, §. 1. Comites insuper Palatinos, §. 2. Cum eorum indultis, §. 3. Eximit à decimis, & impositionibus, §. 4. Remittit eis fructus beneficiorum indebitè perceptos, §. 5. Illegitimos habilitat ad officia, & beneficia, §. 6. Circa delationem habitus dispensat, §. 7. Literas Apostolicas gratias pro eis expediri mandat, §. 8. Quoad pensiones indultum eligendi personas, & alia concedit, §. 9. Et priuilegium de non registrandis, §. 10. Clausulas huius concessionis pręseruatiuas apponit, §. 11. Et clausulam, Sublata, &c. §. 12. Executores quę deputat, §. 13. Contrarijs tandem derogat, §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Conclaue quid est? & cur ita appellatur?

RESP. Locus est, in quo, quoad rem nostram Cardinales pro futuri Pontificis creatione conueniunt, sic dictus, quia multis clauditur clauibus, vel ad quod per plures claues itur cap. 3. §. 1. vbi glos. in verb. Conclaue Ioan. Andr. num. 10. & Monach. num. 6. de Elect. in 6. & l. penult. vbi glos. & Scribb. ff. de Damn. infect. & Lancellot. de Templo omn. iud. in tit. de Pont. Max. lib. 2. cap. 1. ante quæst. 1. nu. 11. pag. mihi 144. vbi agit etiam de alijs interpretationibus verb. Conclaue.

Schol. secundum.

Quæro. Priuilegium eligendi personas datum Conclauistis pro assignandis pensionibus, vt in §. 9. competet ne etiam alijs personis in eorum fauorem resignantibus?

RESP. Competere censuit Rota in decis. Caputaqu. 37. in vna Ciuitaten. Pensionis 10. Aprilis 1554. incipien. Priuilegium in Manuscriptis lib. 2.

XVII.

Edita Anno 1592.

GRaues, & diuturnæ Christianæ Reipublicæ calamitates, & infra, pagina 22. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad repellendas calamitates multas S. R. E. agnoscens inanem esse operam hominum, ideoque ad Orationum, quæ Deum flectat ad miserendum, dijudicans esse recurren. in proœm Instituit in Vrbe pro hæresum extirpatione, peccatorum conuersione, Principum Christianorum vnione, & pace, Regni Franciæ ad pristinam pietatem restitutione, Turcarum exterminatione, & ipsius Pontificis iurium ad prosperum Ecclesiæ Dei regimen subleuatione Orationem quadraginta Horarum alternatim, & iugiter habendam in Ecclesijs, & locis pijs ad præscriptam distributionem temporis, & Ecclesiarum, §. 2. Inchoauit ipse in palatio Apostolico in prima Dominica Aduentus, §. 3. Cōcedit Indulgentiam plenariam cuicunque per horam, vt supra oranti, §. 4. Orantibusque breuiori temporis spatio elargitur septem annos, & totidem quadragenas de debitis pœnitentijs, d. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Ritus Orationis Quadraginta Horarum à quo primùm Romæ introductum?

RESP. Hoc vnum scio, quòd in libercul ò Camillo Fanuccio Senense Romæ anno 1601. typis vulgari sermone dato, cui titulus est *Opere pie di Roma*, nuper perlegi

legi lib. 4. c. 13. pagina mihi 352. in fine, vbi recenset Confraternitatem S. Catherinæ de Senis, Nationis Senensis eiusmodi Orationem in priuato quodam ad hoc Oratorio, & postmodum in Ecclesia publicè instituisse.

Schol. secundum.

Quæro. Num dixeris, illum consequi Indulgentiam peccatorum suorum, si in illo horæ spatio, de quo in §. 4. dormiuit?

R E S P. Non, si sua culpa dormiuit, vel si absq; culpa per notabilem horæ partem dormiuit, & nõ suppleuit, per ea quæ scribit Nauar. de Orat. & Hor. canon. c. 9. sub nu. 5.

X V I I I.

Edita Anno 1593.

L Itium dispendijs, & ambagibus, & infra, pag. 23. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Narrat Pium IV. in eius const. 58. de qua supra pag. 17. to. 2. §. 13. Nullitates citationis, iurisdictionis, & mandati tantummodo à Iudicibus Vrbis attendi statuisse, §. 1. Hoc ideo ipse ab omnibus Iudicibus Status Ecclesiastici seruari præcipit d. §. 1. Aufert omnibus aliter iudicandi facultatem, §. 2. Quibuscumque contrarijs derogat, §. 3. Transumptisq; huius Bullæ credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Nullitas non obseruatæ formæ iudicialis à Statutis locorum præscriptæ, vt puta non est contestata lis vel datus libellus, iuxta formam Statutorum, num intelligetur reiecta?

R E S P. Non, quia Papa non intellexit tollere obseruantiam eorum, quæ Statuta ad bene disponendas lites edixerunt, vt in puncto supradictæ Bullæ Pij IIII. censuit Rota coram Orano in vna Romana Alimentorum die 4. Iunij 1593. aliàs 1597. vbi idem tenet in defectu terminorum substantialium non obseruatorum, idemq; tenuit Rota, etiam coram Millino in vna Anconitana Fideicommissi die 9. Iunij 1599.

Schol. secundum.

Quæro. Quid dicen. de nullitate ob non transportationem actorum?

R E S P. Hanc non reijciunt eiusmodi Bullæ, vt sentit Rota coram Ludouisio nunc Sanctissimo in vna Romana Domorum die 10. Iunij 1611. Quinimo nullitatem istam comprehensam puto in nullitate iurisdictionis, cum Iudex ad quem non habeat nõ transportatis actis exercitium iurisdictionis, vt dixit Rota coram Corduba in vna Lauden. Deuolutionis die 23. Martij 1594. & coram Penia in vna Britorien. Bonorum diebus 15. Aprilis, & 4. Maij 1598.

X I X.

Edita Anno 1593.

C Aeca, & obdurata Hebræorum perfidia, & infra pagina 23. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Refert Paulum IV. in sua constit. 3. de qua supra pagina 5. tom. 2. quasdam edidisse leges obseruandas ab Hebræis degentibus in Statu Ecclesiastico, §. 1. Et Pium V. in eius constit. 5. de qua sup. pag. 35. tom. 2. eas approbasse, & deinde in constit. 80. de qua supra pagina 58. à Statu Ecclesiastico illos expulisse, præterquam ab Vrbe Roma, & Ciuitate Anconæ, §. 2. Sed tamen plures tolerantias per eos aduersus prædicta extortas fuisse, §. 3. Comprobat dictas Pauli IV. & Pij V. constitutiones, §. 4. Tolerantiasq; & priuilegia in contrarium obtenta reuocat, §. 5. A toto Statu Ecclesiastico, & locis ei mediatè subiectis, præterquam à Roma, & Ancona expelli iubet, §. 6. Ipsosq; Hebræos constitutionibus Apostolicis, & sacris Canonibus, locorum statutis, & prædictis Pauli IV. & Pij Quinti legibus subijcit, §. 7. Executores huius Bullæ deputat, §. 8. Contrarijsq; derogat, §. 9. Publicationem Romæ factam omnes vbique ligare decernit, §. 10. Transumptisque credi iubet, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Hebræi puniendi, vt in §. 7. Ecclesiastico forsan, vel sæculari foro subsunt?

R E S P. In delictis Ecclesiasticis, vt putà si peccauerint in Clericum, vel contra Canones, vel legem diuinam, foro subsunt Ecclesiastico; In delictis verò sæcularibus, foro sæculari Calder. cons. 125. aliàs 11. de Iudic. & foro Comper. Marquard. de Iud. p. 2. c. 6. nu. 17. Surd. decis. 133. num. 22.

Schol. secundum.

Quæro. Quid in delictis mixti fori?

R E S P. Locus est præuentioni inter Iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem, sicuti in causis Christianorum, Panormit. in cap. Postulasti. de Iud. & Sarrac. num. 5. circa finem, Felyn. in cap. 2. de Iud. nu. 4. Surd. d. decis. 133. n. 3.

X X.

C Vm Hebræorum malitia nouas in dies excogitet fraudes, & infra, pag. 25. Bullarij.

Edita Anno 1593.

C O M P E N D I V M.

Approbat Prędecessorum Pontificum prohibitiones editas contra Hebræos Librum Thalmud, & alia detestanda scripta retinentes, legentesq; §. 1. Prohibet eisdem quoscũque alios libros, & scripta expressè, vel tacitè continentia hæreses, vel errores contra Sacras Scripturas veteris Legis, & Testamenti, & contumelias, ac blasphemias contra DEVM, Sanctissimam Trinitatem, Saluatorem Dominum IESVM CHRISTVM, eiusq; Fidem, & Gloriosissimam semper Virginem MARIAM, Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosq; Sanctos DEI, Sanctissimam Crucem, Sacramenta nouæ Legis, Sacras Imagines, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sedem Apostolicam, & Christi fideles, ac contra nuper ad Christi Fidem conuersos, & Neophitos, ac aliàs contra Religionem Catholicã, & etiam ea scripta, in quibus obscœnæ narrationes continẽtur, etiamsi expurgata fuerint, aut de nouo typis excusa, aut alio quouis prætextu, §. 2. Reuocat quæcumque indulta, & facultates illa retinendi, §. 3. Prohibet illa de cætero concedi, §. 4. Eadem Inquisitoribus, vel Ordinarijs infra decem dies ab omnibus consignari, atque comburi præcipit, §. 5. Contrauentoresq; coerceri mandat, §. 6. Et etiam fautores Hebræorum in prædictis, §. 7. Executores deputat, §. 8. Cõtraria remouet, §. 9. Publicationem Romæ factam omnes ligare decernit, §. 10. Transumptisq; credi iubet, §. 11. Sanctionem pœnalem adiungit, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Quid operatur approbatio prohibitionis Thalmudi, quam Pont. antecessores edixerunt, vt in §. 1.?

R E S P. Admodum mihi operari videtur, cum post illã prohibitionem Liber Thalmudi toleraretur, quatenus sine nomine Thalmudi, & sine iniurijs, & contumelijs in Religionem Christianam prodiret, vt in Indice Librorum prohibitorum ex decreto Concilij Trident. legitur in verbo Thalmud. Nunc autem omnimodè interdicitur. Quod si aliquot deliramenta in Thalmudi volumine conscripta, vt nauseam concipias, perstringere velis, vide Marquard. de Susa. in tract. de Iud. p. 3. c. 1. nu. 99.

Schol. secundum.

Quæro. A quibus compositum Thalmud?

R E S P. Duplex est Thalmud Hierosolymitanum, & Babylonicum, vt legitur in Edicto Illustrissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, tempore Iulij Tertij in Directorio Inquisitionis inter Bullas Iulij Tertij in fine operis adiunctas, impresso, quorum iussu Romæ vtrumque combustum fuit. Illud autem Babylonicum Rabana, & Rapses legis Mosaycæ peritissimi, cœtu in Babylone congregato composuerunt, combustis nouæ legis voluminibus. Alterum verò Hierosolymitanum Iudæi, quos Zorobabel, Ozias, & Nehemias reduxerunt, pluribus gymnasijs institutis euulgarunt, vt colligitur ex scrip-

tis

tis Rabi Mosis in præfat. Maiemonim. Et de Thalmud Babylonico aliqua scripsit Petrus Gregorius Tholos.in procemio Decretal.sub num.32.

XXI.

Edita Anno 1593.

Quæ ad prosperam Religiosorum directionem, & infra, pagina 26. *Item*, Sanctissimus, & infra, pagina 27. Bullarij.

COMPENDIVM.

Approbat acta in Capitulo generali Mantuæ celebrato, & Dieta vltimo loco tenta Congregationis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi de Obseruantia, quatenus Concilio Tridentino, & Regularibus institutis dictæ Congregationis non sint contraria, §.1. Iubet Georgium Lucanum Generalem ad aliud triennium cófirmari, §.2. Et quia Greg. XIII. in sua constit. 90. de qua supra pag. 108. tom.2. nonnulla ad preces dictæ Congregationis statuit, eius constitutionibus aduersa, §.3. Ipse statuit Præpositum, Consultores, & Diffinitores eligi posse, tàm ex Prioribus, quàm alijs subditis, §.4. Et Priores ex non Vicarijs §.5. Procuratoremq; generalem ex omnibus subditis, §.6. Et eos habere vocem in Capitulis, & Dietis, qui eam ante dictam Bullam Greg. XIII. habebant, §.7. Præpositiq; & aliorum officia triennio expleri, §.8. Prohibet omnibus ambitum, §.9. Contrarijs Pontificum constitutionibus derogat, & alijs robur adijcit, §.10. & seqq. Reformationem adiungit de Choro in princ. subseq. Bullæ. Sacræ Scripturæ lectione, §.11. Paupertatis voto, §.2. Vestitu, & supellectili, §.3. Cibo, ac pitantia, §.4. Peculiaribus præstationibus occasione officiorum, §.5. Administratione bonorum cuiuscumque Monasterij, §.6. Regularium numero in singulis Monasterijs, §.7. Redditnum, & bonorum asseruatione, § 8. Prohibitione declarandi decreta Concilij Tridentini, aut hic contenta, §.9. Prædicatorum, & Lectorum priuilegij vsu, §.10. Socij ad ministrandum deputandi qualitate, §.11. Clausuræ obseruantia, §.12. Accessus ad Vrbem prohibitione, §.13. Cellularum, & Dormitorij qualitatibus, §.14. Monasteriorum fenestris obserandis, §.15. Infirmaria, & infirmorum cura, §.16. Licentiarum extra claustra degendi prohibitione § 17. Monasterijs deputan. pro recipien. venientes ad Religionem, §.18. Largitionis munerum prohibitione seruanda, §.19. Ambitus prohibitione, §.20. Electionis Officialium forma, §.21. Eligendorum qualitatibus, §.22. Monachorum deputatione ad examinan. Lectores, Prædicatores, & promouendos ad Ordines, §.23. Constitutionum Ordinis obseruantia, §.24. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Est ne verùm, quòd huius Congregationis exordio, scientiarum studia eius professoribus prohibebantur?

R E SP. In antiquissimo Codice manuscripto in Bibliotheca Genitoris mei asseruato, vbi primitiua huius Congregationis regula conscripta legitur, literarum studia prohibebantur, vt solitudini Monachi magis dediti essent.

Schol. secundum.

Quæro. Eiusmodi regula à quo data?

R E S P. A Lupo de Olmeto dicitur ibi emulgata, & à Martino V. probata anno M CCCC XXIV. Quam probationem hodie impressam per lege in libro priuilegiorum huius Congregationis mox typis cuso.

XXII.

Edita Anno 1593.

Decet ex benignitate Sedis Apostolicæ studio, & infra, pagina 29. Bullarij.

COMPENDIVM.

Priuilegia Congregationis Clericorum Regularium S. Maioli Papien. aliàs de Somascha comprobat, §.1. & 2. Præscribit Præpositi generalis authoritatem dispensandi cum dictis Congregationis professis, defectum natalium patientibus ad suscipien. sacros Ordines, & ministrandum in Altaris ministerio, & recipien. officia, & dignitates, quæcumque huius Congregationis, §.3. Et loca eius omnia visitandi, §.4. Eximit à cura Monialium, alijsq; curis opera Congregationis impedientibus, § 5. Professiones vsque ad hanc diem emissas in manibus cuiuscumque presbyteri dictæ Congregationis, validas declarat, §.6. Præposito dat facultatem committendi inferioribus receptionem professionis, seruata in reliquis Bulla Sixti V. 71. de qua sup. pag. 130. to.2. §.7. Clausulas præseruatiuas apponit, § 8. Clausulam, Sublata &c. addit, §.9. Contrariaque tollit, §.10.

Schol. primum.

Quæro. Ante constitutionem Sixti V. de qua hic in §.3. ingressus Religionis nonne de iure antiquo tollebat defectum natalium, quoad Ordines?

R E S P. Tollebat quidem ad tex. in c.1. distinct. 56. vbi Archidiac, & alij notant; Non tamen quoad dignitates absque Sedis Apostolicæ dispensatione c.1. de Fil Presbyt. in 6. & tradit Syluestr. in verb. Illegitimus q.6.

Schol. secundum.

Quæro. Cur eiusmodi dispensatio eo iure requirebatur?

R E S P. Vt Sedes Apostolica discerét, an dispensare cú filijs Presbyterorum expediret, cum ipsi soleant esse criminis paterni imitatores cap. pennlt. vbi glos. & alij c. nis. 6. q. 1. præsertim quòd etiam ab ipsis parentibus mali educantur glos. in cap.2. de Fil. Presbyt. in 6.

XXIII.

Edita Anno 1593.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, & infra, pagina 31. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratribus Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo interdicit conquisitis extra Religionem fauoribus, aut etiam spóte oblatis Prælaturas, & officia in ea procurare, aut alijs minimè licitis rationibus obtinere, §.1. & 2. Contrauenientibus, & eorum complicibus pęnas infligit, §.2. Superioribusq; eiusmodi fauores attendere prohibet, §.3. Electiones aliter factas irritat, & contrauenientes iti emissibiliter ipso iure, absque alia monitione, & sententia pęnas incurrere, solasq; preces, vel rostantius personarum extra Religionem ambituoi probare decernit, §.4. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §.5. Obstantia remouet, §.6. Hanc Bullam in Capitolo publicari, eiusq; exemplis credi iubet, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba (*ipso iure, &c.*) de quibus in §.4. qualiter intelligenda?

R E S P. Illa verba (*ipso iure*) intelliguntur, vt sententia non sit necessaria super incursu pęnæ, quam reus statim quòd delinquit incurrit. Attamen sententia, in qua declaretur quem reum esse ambitus, omnino requiritur, antequã deueniatur ad executionem illius pęnæ, cap. Cum secundum 14. de Hæretic. in 6. vbi & in cap. Fælicis. 5 de Pęn. in 6. ita communiter Canon. concludunt, & bene Grammat. decis 105. num. 60. Verumtamen ex vi verbi, irremissibiliter, aliud est dicen. Gabriel. in tit. de Malefic. conclus. 12. vbi loquitur in verb. Omnino. Ias. cons. 110. vol. 3. Eug. cons. 22. num. 71.

Schol. secundum.

Quæro. Citatio ne requiritur ad validitatem eiusmodi sententiæ declaratoriæ?

R E S P. Vbi hæc sententia requiritur, ibi citatio omnino necessaria est, vt notat glos. in verb. Coństiterit. in clem. 2. de Pen. cuius opinionem communiter receptam inquit Ripa in l. Is, cui bonis. 6. ff. de Verbor. oblig. num. 27. & Gabr. vbi supra num.1. vers. Ampli primam. Contrarium tamen tenet Roman. cons. 482. num. 8. & seq. vbi Apostilla adducit concord.

Qu

XXIV.

Edita Anno 1593.

QVæ ad tuenda, & conseruanda bona, & infra, pag. 31. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet personis Ecclesiasticis sæcularibus, & Regularibus quibuscunque amouere, & subtrahere ex Bibliothecis Ordinis Fratrum B. MARIAE de Monte Carmelo libros, & monumenta quæcunque, siuè impressa, siue manuscripta ibi existentia, §. 1. Contrauenientes pœnæ excommunicationis ipso facto incurrendæ, & à qua solus Papa, præterquam in mortis articulo, absoluere possit, subiacere decernit, ibid. Contrarijs non obstantibus §. 2. Huius Bullæ exemplis in dictis Bibliothecis in loco cõspicuo affixis, & sigillo Ordinis munitis, manuque Notarij publici subscriptis fidem dari præcipit, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba (*ipso facto*,) de quibus in §. 1. in quo differunt à verbis (*ipso iure*) de quibus in præcedentis constit. Schol. 1. diximus?

RESP. Synonima appellat post Alexan. quem allegat Parif. conf. 91. lib. 2. nu. 65. & Dec. conf. 138. incip. Diligenter num. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Dicta excommunicatio poterit ne ferri in die feriata in honorem DEI?

RESP. Sic sentit Federic. de Sen. conf. 11. nom. 3. & ita iudicatum fuisse scribit Marc. Anton. Genuens. in Praxi Neapolit. cap. 29. num. 17. pag. mihi 185. vbi ad hoc citat etiam decis. Delphinat. Francisci Marci. 690.

X X V.

Edita Anno 1593.

PAstoralis officij nobis diuinitus, & infra, pagina 32. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius xiij. in sua constit. 64. de qua supra pag. 99. tom. 2. Fratres Ordinis B. MARIAE de Monte Carmelo separauit à Fratribus Mitigatis eiusdem Ordinis, §. 1. Sixtus V. videns auctum esse numerum Fratrum, & Monasteriorum Discalceatorum, per plures Priores, & vnum Vicarium regi decreuit, §. 2. Sed Mitigati, & Discalceati vnanimi consensu se disiunxerunt, §. 3. Quod hic Pontif. approbat, §. 4. Discalceatos à Mitigatis eximit, §. 5. Et sub Sedis Apostolicæ protectione recipit, §. 6. Eorumque Superiorè Præpositum vocari præcipit §. 7. Sex Consiliarios habere, ac totum Ordinem Discalceatorum regere iubet, §. 8. Diffinitores Capituli, qui, & vt eligendi, decernit, §. 9. Præpositus generalis si se absentari ab ista Congregatione, vel mori cõtingat, ante eius discessum vel obitum, si grauiter infirmabitur in eius præsentia Vicarium generalem per ipsum Præpositum, & Assistentes ex Consiliarijs, & Assistentibus eligi iubet, §. 10. Præpositi officium sexennio durare declarat, §. 11. Et modò eius locum vsque ad Capitulum, à Vicario teneri mandat, §. 12. Ordinationesq; opportunas pro bono regimine edere indulget, §. 13. Ordinis priuilegia primitiuæ regulæ non contraria Discalceatis competere decernit, §. 14. Clausulas huius bullæ præseruatiuas subdit, §. 15. Executoresq; deputat, § 16. Obstantia tollit, §. 17. Transumptisque credi mandat, §. 18.

Schol. primum.

Quæro. Infirmitas grauis, de qua in §. 10. quomodo probabitur?

RESP. Medicorum iudicio statur, l. Semel 6. Cod. de Re milit. lib. 12. tradit Bart. in l. Quæsitorum 60. ff. de Re iudic. num. 6. & sequuntur Panormit. & alij in cap. Tenor 10. de Sent. & re iud.

Schol. secundum.

Quæro. Surditas, aut cæcitas superueniens erit ne grauis infirmitas, de qua in §. 10. ad effectum prædictum?

RESP. Grauem esse puto morbum cæcitatis vtriusque oculi, secus verò vnius. Et idem dico de surditate, si ex ea solum auditus debilitatur, secus verò si admodum impeditur. Munus siquidem Præfecti opus corporis requirit, & maximi consilij, & curæ, sic probat tex. in l. 1. & 2. Cod. Qui morbo se excus. lib. 10. & ibi glos. & Bart. & alij ita concludunt.

X X V I.

Edita Anno 1594.

EX Apostolicæ seruitutis officio, & infra pagina 34. Bullarij.

COMPENDIVM.

Mercatores exteros ex Orientalibus partibus merces in Ciuitatem Anconæ Status Ecclesiastici adducentes, vel, diuersa Mercaturæ causa domicilium ibi constituentes, eximit à solutione gabellarum, §. 1. Saluosconductos eis à S. R. E. Camerario dari solitos approbat, §. 2. Eosque Mercatores turbari prohibet, §. 3. Vniuersitatis Hebræorum Orientalium Anconæ commorantium priuilegia à Paulo III. concessa, & ab eodem Camerario modificata confirmat, §. 4. Illosque ad omnia loca Status Ecclesiastici pro exigendis ipsorum creditis accedere permittit, §. 5. Merces ex partibus Orientalibus per Mare Adriaticum ad alios eius portus extra Statum Ecclesiasticum delatas, & postea in dictum Statum comportatas emi prohibet, §. 6. Triticum ad Anconæ portum aduehendum cuique liberè vendi posse indulget, §. 7. Mercatores gabellam soluere, antequam merces vendant, aut aliò asportent, non debere declarat, §. 8. Consules sanitatis Anconæ nihil absque Gubernatoris interuentu circa personas, & merces nauium agere decernit §. 9. Mercatorum prædictorum causas Anconæ cognosci iubet, §. 10. Ab eorum sententijs valorem scut. 40. excedentibus tantùm appellare semel dumtaxat permittit, ibidem. Formam eligendi Iudices ad eas dijudicandas, eorumq; iurisdictionem præscribit, §. 11. Hos Iudices, & Gubernatorem, quicquam de mercibus nauium recipere, aut emere posse declarat, §. 12. Ita, & non aliter iudicari decernit, §. 13. Executores deputat, §. 14. Contrarijsque derogat, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Ciuitas ista non ne habet à Sede Apostolica priuilegium generale, quòd omnes causæ ibi cognoscantur?

RESP. Cntn. lib. 4. conf. 262. sub num. 9. scribit, quòd ex indulto Sedis Apostolicæ, nec prima, nec secunda instantia inde extrahi potest.

Schol. secundum.

Quæro. Consulum Mercatorum iurisdictio poterit prorogari ad causas non pertinentes ad Mercaturam?

RESP. Non, quia cum eorum iurisdictio sit concessa à Papa ad causas Mercaturæ, dicitur ad eas limitata, & sic à partibus protogari non valet Cyn. in l. 1. Cod. de Iurisd. omn. Iud. in fine, Imola in cap. P, & G, de Offic. Iud. deleg. n. 84. Benuenut. Stracch. in tract. de Assecurat. glos. 31. n. 7.

XXVII.

Edita Anno 1594.

BEnedictus Pater misericordiarum, & infra pagina 36. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sancti, qui in Cælo regnant, in terra etiam Romani Pōt. decreto venerandi sunt in proçu. & §. 1. & 2. Leo X. processum canonizationis B. Hyacinthi Poloni, Rege Poloniæ instāte cōmisit, §. 7. Clemens VII. Fratrib. S. Dominici licētiā dedit in Regno Poloniæ eius officia celebrandi, §. 4. Paulus III. dictū processū Canonizationis tribus Cardinalibus examinādum commisit, §. 5. Greg. XIII. & Sixt. V. de dicta canonizatione requisiti fuerunt, §. 6. Sixtus dictū processū, Cardinalibus Congregationis sacrorum Rituum, & tribus Rotę Auditoribus iterum examinandum dedit, §. 7. Qui Gregorio XIIII. dicti processus acta retulerunt, §. 8. Rex Po-

Poloniæ apud hunc Pont. prodicta Canonizatione vehementius instetit, §.9. Qui canonizationi intentus B.Hyacinthi vitam refert, §.10. & seqq. Miracula multa in vita operatus est, §.14. & seqq. In Consistorio itaque secreto itentum fuit, B.Hyacinthum canonizandom fore, §.18. Et etiam postea in Consistorio publico, §.19. & 20. Et inde Pontifex, esse Sanctum pronunciauit, §.21. Indulgentias visitantibus eius Sepulchrum, vel Sacella concedit, §.22. Missam de Octaua Resurrectionis Domini celebrari in Dominica in Albis, cum commemoratione dicti Sancti, & interessentibus Indulgentiam plenariam concessit, §.23. Hortaturq; omnes ad collaudandum Deum, §.24.

Schol. primum.

Quæro. Quis latius præclara huius Sancti gesta mihi enarrabit?

RESP. Perlege libellum, quem de eius vita, miraculis, & actis Canonizationis, post alios Scriptores edidit R.P. F.Seuerinus Cracouien. Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Fratrum S.Dominici professor; de quo, & alijs meminit Baronius in Martyrolog. die 16. Augusti.

Schol. secundum.

Quæro. Mortui, quos suscitauit S.Hyacinthus, potuerunt recuperare eorum bona?

RESP. Potuerunt, quia homines verè resuscitati in Terra, sunt ijdem homines Bald. in repet. l.1. Cod. de Sacrosan. Eccles. num. 152. vbi ponit exemplum de Lazaro à Christo resuscitato, & sequitur Troyl. Maluet. de Canonizat. §§. in 3. dubio. num. 7.

XXVIII.

Edita Anno 1594.

Religiosæ Congregationes, & infra, pag. 40. Bullarij.

COMPENDIUM.

Largitionem, missionemq; munerum Regularibus cuiusuis Ordinis, Congregationis, & instituti, non tamen Militiæ, eiusq; Superioribus ministris, & Officialibus interdicit, §.1. Et neminem eorum directè, vel Indirectè palam, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, quouis prætexto, vel causa, nisi in generali Capitulo, vel Congregatione vnanimi omnium consensu, & Superiorum permissu probata quicquam tale attentate posse, ibidem. Et neque fas esse decernit quicquam donare ex fructibus, prouentibus, oblationibus, vel subsidijs, etiam extraordinarijs mensæ, vel massæ, aut fabricæ vel Sacristiæ, vel ex pecunijs singulariter acquisitis, aut in communi conferendis, vel nominatim alicui Religioso à suis Superiorib. propinquis, & amicis, aut alijs, etiam eleemosynæ intuitu, vel aliter datis, præterquam leuiora esculenta, & poculenta, seu ad deuotionem, & religionem pertinentia munuscula, communi tamen, & non particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur tradenda) §.3. Eas excusationes reijcit, quòd munera dantur cuique etiam Regia, Imperiali, & Pontificali, aut alia maiori, etiam occasione benedictionis, aut susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut professionis Monialium, etiam Ordinis Protectori, & cuicunque alij, etiam simplici, & particulari Religioso, præterquam rerum minimarum, de licentia Superiorum in scriptis, §.4. Et neque in alicuius Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, aut beneficiorum acceptorum memoriam, aut grati animi testificationem, neque pro prædictis honorificè excipiendis, aut spectaculis, etiam pijs, &c. §.5. Excipit hospitalitatem, quinimò eam seruari præcipit, §.6. Munera eiusmodi recipientibus pœnas imponit, §.7. Eaque dantibus, §.8. Executores huius Bullæ deputat, §.9. Contrarijs derogat, §.10. Hanc Bullam Romæ publicatam omnes afficere decernit, §.11. Eamq; in libris Ordinum inseri, & in Capitulis, siue congregationibus perlegi iubet §.11. Transumptisque eius credi iubet, §.12. Sanctionem pœnalem addit, §.13.

Schol. primum.

Quæro. Regularium nomine, de quibus constitutio loquitur, comprehenduntur Nouitij, vel alij, qui in aliquo Monasterio conseruantur?

RESP. Non, quia isti non dicuntur Regulares, cum nullam Regulam professi sint, prout sic notat Sorbus Ordin. Capuccin. post sform expositione huius Bullæ, ad Compend. priuil. Frat. Minor. in verb. Dare. vers. Et dü dicitur pag. mihi 193. ex Nauar. in cons. 81. & 82. de Regular.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ dici possunt ea leuiora esculenta, & poculenta, seu munuscula ad deuotionem, vel Religionem pertinentia, de quibus in §.3.

RESP. Ea esculenta, & poculenta, quæ si surriperentur, non esset peccatum mortale, idest non excederent quantitatem, aut valorem vnius iulij, vel duorum carolenorum, ponderando illud verbum (*leuiora*) & supponendo, quòd Religiosi pauperrimæ personæ dicuntur. Illa verò munuscula, possunt esse paruulæ Reliquiæ Sanctorum, Imaginesq; papyreæ, Coronæ cum Indulgentijs, numismata benedicta, libelli deuoti, & eiusmodi non excedentia valorem iulio rum, duorum vel trium, ita adnotauit Sorb. vbi supra pagina 195. necnon Coriolan. aliter Capuccin. de Casibus tertium parte, casu 8. vers. Secundus pag. 395.

XXIX.

Edita Anno 1594. & 1603

Ex debito nostri Ministerij, & infra, pagina 42. *Item*, Pias Christi fidelium, & infra, pag. 43. Bullarij.

COMPENDIUM.

Confraternitas Suffragij pro animabus in Purgatorio existentibus liberandis nuper erecta fuit, de licentia Vicarij Papæ pro vtriusque sexus Christifidelibus, §.1. & 2. Illius præcipuum institutum est, preces ad Deum pro dictis animabus, & in earum refrigerium effundere, ibid. Eam, eiusq; statuta à dicto Vicario examinata approbat, §.3. Eã erigit in Archiconfraternitatem, §.4. Statuta condendi facultatem, §.5. Aliasq; Confraternitates aggregandi, §.6. Indulgentias Confratribus, & visitantibus eorum Oratorium in festo Omnium Sanctorum & infra Octauam, & in festo Natiuitatis B. MARIAE, ac durante Oratione Quadraginta Horarum ibidem orantibus concedit, §.7. Contrarijsq; derogat, §.vlt. Indultum liberandi in die festo Omnium Sanctorum, aut in Feria sexta maioris hebdomadæ, vnum reum capitaliter, exceptis nonnullis casibus, condemnatum, habita offensorum pace in Bulla subseq.

Schol. primum.

Quæro. Quibus potissimum precibus iuuantur animæ in Purgatorio existentes?

RESP. Sacrificio Missæ, vt testatur S. Ecclesia in sess. 25. Concil. Trid. in Decreto de Purgatorio. Nulla enim Missa etiam non priuilegiata est, per quam ex opere operato non minuatur aliquo modo pœna Purgatorij, vt inquit Nauar. conf. 11. de Priuil. lib. 5. in vltimis verbis pag mihi 560. in impressis Brixiæ.

Schol. secundum.

Quæro. Quot modis Missarum suffragia mortuis applicantur?

RESP. Tripliciter. Per intentionem animi, & applicationem per memoriam, quæ fit in parte Canonis Missæ, quæ Incipit *Memento*, &c. & per collectas expressas in ipsa Missa vt benè per multa iura probat Nauar. cons. 6. de Celebratione. Missar. lib. 3. num. 1. & seqq. vbi eruditè etiam declarat, quæ suffragatio ex prædictis magis prosit.

Ijs

XXX.

Edita Anno 1594.

IIs, quæ pro fęlici Regularium, & infra, pagina 44. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordo Fratrum B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum multa statuit in Capitulo generali pro bono eius regimine, & electione Magistri generalis, §.1. Quod Magister generalis vna vice ex Corona Aragoniæ, & Galliæ, & altera ex Corona Castellæ iunctis Prouincijs Audaluciæ, & Indiarum, §.2. Et locus Capituli non sit in locis Coronæ, ex qua eligendus est Generalis, & prima electio fiat ex Prouincia Castellæ, §.3. Prouinciales, & Diffinitores Indiarum omni tempore ad Capitulum admittantur, ostensa eorum renunciatione Capituli Prouincialis, §.4. Si Generalis est de vna Corona, & Procurator generalis in Vrbe de eadem Corona, possit expensis suis alia Corona habere Procuratorem particularem, §.5. Subsidia Magistro generali quæ præstanda, §.6. Exemptiones Fratrũ omnes reuocatæ, §.7. Magister generalis eas de cætero non cõcedit, §.8. Pecuniæ vnius Prouinciæ non applicentur pro redimendis Captiuis alterius Prouinciæ, neque in alium vsum, §.9. Adiunguntur quædam domus cum earum introitibus, ad Collegiũ Ordinis in Ciuitate Illerdensi, §.10. Aliæque Collegio Oscensi, §.11. Præsentati, aut Magistri gradus, vt dandus, §.12. Magister generalis, vt Capitula prouincialia differre possit, vel anticipare, §.13. Vota pro electione Magistri generalis, & Prouincialium, vt danda, §.14. Vicarius generalis, vt nominandus à Magistro generali, §.15. Nullus alterius Ordinis Religiosus absque licentia Generalis recipiatur, §.16. Vicarij Indiarum non inde recedant, priusquam successores illuc peruenerint, §.17. Proximum Capitulum in Monasterio Oppidi Vallisoleti Diœces. Palentinæ celebretur, §.18. Ordo petit prędictorum omnium confirmationem, & obtinet, §.19. & seqq. Cum derogatione contrariorum, §.23.

Schol. primum.

Quæro. Si pecuniæ sunt relictæ pro redimendis Captiuis vnius Prouinciæ, & nullus ex ea sit captiuus de præsenti legatum efficitur ne caducum?

RESP. Non, sed accipit Ordo pro futuris Captiuis tanquam repræsentans eorum personas, ita consulendo dixit Bart. in cons. 58. incipien. Ex parte lib. 2. post princ. vers. sic. Nam si relinqueretur, & sequitur Gratian. Discept. Forens. lib. 2. cap. 358. num. 25.

Schol. secundum.

Quæro. Dispositio, de qua in §.9. nonne concordat cum dispositione iuris communis?

RESP. Ita sanè l. 2. Cod. de Annon. Ciuil. lib. 11. & ibi not. Bar. in fin. & latè Luc. de Pen. num. 33. & seqq. glos. in cap. Sicut omnino 16. caus. 12. q. 2. & Vinc. de Franc. decis. 190. vers. Item in redemptione.

XXXI.

Edita Anno 1595.

QVæ ad Sanctorum Venerationem, & infra, pag. 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Festum S. Stanislai Episcopi, & Martyris Poloni, iusserat hic Pont. duplici Officio per vniuersum Orbem eo die quo eiusdem Sancti festo proximior nullo alio festo esset impeditus, §.1. Modò illud ad diem 7. Maij præscribit prę uio decreto Congregationis Sacrorum Rituum, §.2. & 3. Et si ea dies alio festo esset impedita, illud festum transfert in aliam non impeditam iuxta Rubricas Breuiarij Romani, §.3. Quibuscunque non obstan. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Præter ea, quæ in const. 13. Innoc. IV. sup. pagina 19. to. 1. de hoc Sancto Viro mihi enunciasti, quis cætera eius pręclara gesta me edocebit?

RESP. Apud Baron. in suo Martyrolog. sub dicta die 7. sic habetur, scripsit huius sanctissimi Viri res gestas Ioãnes Longinus Canonicus Cracouiensis ibidem à me citatus, quos reperies apud Surium to. 2. qui ex Alberto Crãt. alia addidit. Plura de eodem Cromer, & alij, qui prosecuti sunt res Polonorum.

Schol. secundum.

Quæro. Dic quæso interim si iste Sanctus aliquem mortuum suscitauit?

RESP. Cum Rex Poloniæ Boleslaus in iudicium per calumniam Stanislaum Episcopum coram se vocari curasset, tanquam pagum occuparet, quem Ecclesiæ suæ coemerat. Ipse cum nec tabulis, nec testibus illum à quodam Petro emisse probare posset, spondet se Petrum pagi venditorem, qui triennio obierat, intra tres dies in iudicium adducturum. Toto igitur triduo ieiunio, & orationi incúbit, & tertia die post Missæ sacrificium Petrum è sepulchro surgere iubet. Qui statim rediuiuus (Rege, & cæteris stupore attonitis) de agro à se vendito, & pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto, testimonium dicit, atque in Domino iterum obdormiuit. Hæc habentur in 5. Lectione secundi Nocturni, Officij ipsius Sancti in Breuiario Romano.

XXXII.

Edita Anno 1595.

PIa Mater Ecclesia, & infra, pagina 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sanctorum festa Ecclesia instituit, vt eorum virtutes imitemur, & eosdem apud Deum intercessores habeamus, §.1. Et quia inter plerosque Sanctos, virtutibus multis, & miraculis claruit S. Romualdus Eremitarum Camaldulensium Fondator, §.2. Eius ergo festum habito consensu Congregationis Sacrorum Rituum, hic Pont. duplici Officio vbique die 7. Februarij, quo die eius translatio facta est celebrari præcipit, §.3. Quibuscunque non obstan. §.4.

Schol. primum.

Quæro. Ad quem locum fuit translatum Corpus huius Sancti?

RESP. Fabrianum Oppidum in Piceno translatum ibique honorificè conditum in Ecclesia S. Blasij Ordinis Camaldulensis scribit Baron. in suo Martyrolog. sub dicta die 7. Februarij, vbi magna ibidem veneratione coli subdit. Et sub die 19. Iunij eiusmodi translationis historiam manuscriptam accepisse testatur.

Schol. secundum.

Quæro. Quis eiusdem Sancti præclara acta descripsit?

RESP. Petrus Damianus, qui eum affirmat vixisse annos centum viginti, quorum viginti in sæculo, tres in cœnobio, reliquos verò in solitudine exegit, teste Baron. in eodẽ Martyrolog. sub dicta die 19. Iunij, qua quidem die Rauẽnæ obijsse testatur, eumq; Monachorum Camaldolensium patrem appellat, eo quod collapsam in Italia Eremiticam disciplinam restituit, & mirificè propagauit.

XXXIII.

Edita Anno 1595.

DIcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 47. Bullarij.

COMPENDIVM.

Visitator generalis, & alij Superiores, ac Fratres Tertij Ordinis S. Francisci de Pęnitentia impetrant à Papa, quòd ad euitandũ dispendia, & confusionẽ, quę posset oriri ex ingenti num. personarũ in electione noui Visitatoris, & Diffinitorũ generaliũ in Capit. faciendæ, Visitator generalis præteritus, necnon ex qualibet Prouincia vnus Prouincialis, ac Discretus, & Custos prouincialis, & nõ alij votum habeãt, §.2. Et quòd in elect. nouorum Prouincialiũ, Custodum, & Diffinitorum prouincialium in Capitulis prouincialib. facien-

cienda, Prouinciales prǽteriti, Discreti prouinciales, Priores, & Discreti Conuentuum, ac Diffinitores generales, actuales, & Procurator generalis tunc existens votum habeant, §. 3. Ad electionem verò Priorum, & Discretorum Prouincialium, Prouinciales tantùm procedant, §. 4. Electionesq; supradictorum fiant per vota secreta in schedulis statim facta electione comburendis, itaut eligentium vota numquam publicentur, §. 5. In Capitulis generalibus electiones Prouincialium, & Priorum nequaquam fiant, sed in qualibet Prouincia, secus Prouincialis Discretus, & Priores creentur, §. 6. Aliterq; electiones factæ irritæ sunt, §. 7. Quibuscunque non obstan. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Dispositio §. 2. habet ne locum, etiamsi Custodes vnius Prouinciæ sint præsentes in Capitulo, vbi electio Generalis est celebranda?

R E S P. Habet profectò quia etsi cessaret prima ratio euitandi sumptus, non tamen cessat alia ratio futuræ confusionis. Et ita decisum videtur in quadam Bulla Nicolai IV. quæ impressa legitur in libro inscripto. *Monumenta Trium Ordinum Sancti Francisci* in prima impressione fol. 31. & in secunda fol. 32. concess. 33.

Schol. secundum.

Quæro. Prouinciales, & Custodes transmissi ad Capitulum, vt in § 2. poterunt fortasse renunciare voci passiuæ, quàm ratione officij habent?

R E S P. Non, cùm talis vox passiua non solùm sit eis concessa in eorum fauorem, cui possent proculdubio renunciare, l. Si quis in conscribendo 29. Cod. de Pact. cum similibus. Sed in fauorem Prouinciarum, à quibus transmittuntur, Eorumque maximè interest, vt ab ea selecti omnimodam habeant authoritatem, vocem scilicet actiuam, & passiuam, sic tradit Roderic. de Regular. Quæstion. tom. 1. quæst. 13. artic. 19. in fine.

XXXIV.

Edita Anno 1595.

SAnctissimus D.N. Clemens Papa, & infra, pagina 47. Bullarij.

COMPENDIVM.

Instituit instructionem circa Sacramenta Ecclesiæ super aliquibus ritibus Græcorum pro Episcopis Latinis, in quorum Diœc. Græci vel Albanenses Græco ritu viuentes degunt, §. 1. & seqq. Declarat, vt teneantur Græci credere, & pronunciare, etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, §. 6. Monachis Græcis, vel Calogeris, non nisi ex iusta causa animarum cura committatur, ibid. Presbyteris autem Græcis, vt committi potest, ibid. Vsus carnium die Sabathi, vt Græcis toleretur, ibidem. In ieiunijs biduanis, vel triduanis Græcis indicendis, dies Sabathi in illis cōprehensus à Diœcesanis commutari possit, ibid. Ad obseruationem ieiuniorum Latinæ Ecclesiæ Græci non cogantur, ibid. Græci inter Latinos obseruent festa Ecclesiæ Latinæ, ibid. Romæ habendum præcipit Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, & Insulatum adiacentium subiectos, ab Episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissorijs ad id tantùm concedendis Græco ritu ordinet, §. 7. Hæc statuit ex sententia Congregationis super reformatione Græcorum in fine.

Schol. primum.

Quæro. Nùm licet viro Catholico leuare de fonte sacro eum, qui ritu Græcorum baptizatur?

R E S P. Licèt in illis Terris, in quibus licitum est eo modo baptizare, in alijs non, quia esset peccāti opem ferre, & consentire, ita scripsit Nauar. cons. 1. de Constitution. lib. 1. num. 66.

Schol. secundum.

Quæro. Græco autem liceret forsitan consecrare in Azimo in eius Terra?

R E S P. Non, & neque Latino in sua Terra liceret in fermentato consecrare, ex eadem ratione mox adducta, ita sentit Panormit. & declarat S. Thomas, quos citat, & sequitur Nauar. vbi sup. n. 69. in fine.

XXXV.

Edita Anno 1595.

IN supremo curæ Pastoralis munere, & infra, pagina 48. *Item*, Cum nos, & infra, pagina 49. Bullarij.

COMPENDIVM.

Instituit in Vrbe Domum, in cuius parte vna piè educentur pauperes Virgines, in alia honestæ Viduæ, in altera vero impudicæ Mulieres pœnitentiam agere volentes, §. 1. & 2. Quam domum Monasterium B. V. Refugij nuncupari decernit, §. 3. Festum Assumptionis eiusdem Beatæ Virginis quotannis ibidem celebrari mandat, §. 4. Officiales pro illius regimine eligendos decernit, §. 5. Quibus opportuna edendi statuta facultatem tribuit, §. 6. Qualitatesq; Virginum, Viduarum, & Mulierum recipiendarum præscribendi, §. 7. Easque, &c. regendi, & corrigendi, §. 8. Et congregationem vnam Virorum, Præfecti, & aliorum Deputatorum, alteram verò Mulierum Præfectæ, & Assistentium, ad necessaria peragenda pro dicti Monasterij regimine instituendi, §. 9. & seqq. Sedi Apostolicæ immediatè Domum, & Congregationes prædictas subijcit, & ab aliorum superioritate eximit, §. 12. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 13. Indulgentias nonnullas personis dictæ Congregationis, & aliàs visitantibus dictam domum in festiuitatibus B. MARIÆ elargitur, §. 14. Iudicem ad causas dictæ domus, eiusque personarum cum potestate citan. singulis diebus, & horis, &c. deputat, §. 3. subseq. constitutionis. Amplissimamque eidem authoritatem tribuit, §. 4. & seqq. Contrarijsque derogat. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Sixtus V. in sua const. 60. de qua supra pagina 127. c. 2. pro eiusmodi Virginibus, & Viduis piè educandis Collegium instituit, quorsum ergo noua hæc institutio?

RESP. Quia earum cura Monialibus Regulæ S. Benedicti Congregationis Sancti Bernardi Cisterciensis Ordinis tunc certo modo à Sixto demandata fuit. Sed numero postmodum earum Monialium aucto, & ad totalem regulæ obseruantiam redacto, puellarum, & viduarum receptio illis onerosa visa fuit, vt apud nos notissimum est.

Schol. secundum.

Quæro. Potestas citandi singulis diebus, &c. de qua in §. 3. quid operatur?

R E S P. Ad tollen. difficultatem, si iste Iudex tamquam Commissarius posset citare singulis diebus, eo quia in Romana Curia Iudices Commissarij non possunt citare, nisi diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris, vt nouissimè scribit Marchesan. de Commiss. par. 1. cap. 5. num. 286. & seq. & est notissimum.

XXXVI.

Edita Anno 1595.

SAcrosanctam Catholicæ Fidei, & infra pagina 51. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concil. Trident. Indicem Librorum prohibitorum promouit, & deinde ad Sedem Apostolicam rem deferendam statuit, §. 1. Pius IV. Illum perfecit, & promulgauit, § 2. Sixtus V. alios libros addi iussit, sed re imperfecta decessit, d. §. 2. & 3. Hic Pont. indicem absoluit, modoque approbat, & promulgat, §. 4. Dubiaque in eo emergenda Congregationi Cardinalium super huiusmodi Indice institutæ remittit, §. 5. Contrarijs quibuscunque non obstantibus, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Ipsum Indicem cur Genitor tuus hic inserere prætermisit?

R E S P. Quia volumen est, annoq; hunc sequente Romæ editum, & euulgatum fuit, instructione, & regulis oppòrtunè adiectis.

Schol. secundum.

Quæro. Libros vetitæ, & damnatæ lectionis retinens, nùm hæreticorum fautor, vel de hæresi suspectus dicitur?

RESP.

. S P. Dicetur, si prudens, sciensq; retinet, vt tradit a in Directot. Inquisit. par.2. Commeut.3. vbi hæc itè explicat.

XXXVII.

Edita Anno ....

A Equa, & circumspecta Rom. Pontif. prouidentia, & infra, pag. 52. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ne Iudices sæculares, in personas Ecclesiasticas, vltra quàm deceat, manus extendant, prætextu criminis assassinij, §.1. Vtque Milites Religiosi suis priuilegijs perfruantur, §.2. Decernit declarationem dicti criminis spectare ad Iudicem Ecclesiasticum. §.3. Et contra Milites, aliasq; personas Conuentus, & Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, spectare ad eorum Superiores adiuncto Episcopo loci, §.4. Et ita, iudicari debere mandat, §.5. Contraria quæque sint, non obstare decernit, §.6. Transumptisq; huius constitutionis credi iubet, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Ante hanc Pontificiam declarationem, de qua in §.3. quid sentiebant Doctores?

R E S P. Aliqui voluerunt hanc declarationem spectare ad Iudicem sæcularem, quos refert Clar. quæst. 36. numero 31. Sed contrariam opinionem veriorem fatetur de iure Clar. ibid. eamque probant Ignat. Lopez in addit ad Diaz. in Pract. Canon. crimin. cap. 101. secundum postremam impressionem in litera B, vers. Notabis, Farinac. quæstio. 123. num. 68. & Scaccia in suo tractat. de Iudic. lib. 1. c. 11. nu. 70. post Card. Alban. quem allegant in consil. 31.

Schol. secundum.

Quæro. Si ad suam vindicandam iniuriam Petrus suis manibus interficit, & pecunia mediante, aliquot alios ad sibi auxiliandum inducit, erit ne patratum crimen assassinij?

R E S P. Non, quia assassinus ille est, qui præmio aliquem interficit, vel interfici mandat Clar. in §. Assassinum in princ. & Vinc. de Franc. decis. 176. nu. 3. Petrus autem non corruptus pecunia deliquit, nec præmio homicidium ab eis fieri mandauit, vt præclarè scribit Gabr. consil. 170. lib. 1. num. 7. & 13. quem commendat, & ei alios cumulat Farinac. quæst. 123. num. 148.

XXXVIII.

Edita Anno 1596.

E X quo in Ecclesia Dei, & infra, pagina 52. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. in sua constit. 64. & 106. de quibus sup. pagina 53. & 65. to. 2. Breuiarium, & Missale emendauit, §.1. Alij Pontifices illius prædecessores Pontificale ediderunt, §.2. Sed eius forma immutata fuit, §.3. Illud ergo reformauit, & obseruari iubet, & alia prohibet, §.4. & 5. Immutari vetat, §.6. Introductionemq. illius Prælatis præcipit, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Qui Pontifices ante Pium V. ediderunt Pontificale, vt dicitur in §.2.?

R E S P. Leonem X. illud imprimi fecisse scribit Castald. in suo tract. de Imperat. q. 24. num. 3. Sed & ante Clementem V. editum constat ex tex. in clem. vnica de Iureiur. §. Hos itaque, & sic à pluribus editum liquet.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ erat ei fides adhibenda.

R E S P. Plena fides, quia Clemens V. in d. clem. 2. illud allegat ad probandum eius intentionem, & ita firmat ibi Vitalin. nu. 4. & Hostiens. in cap. 5. de Seru. non Ordin. sub num. 1. ac Panormit. in vers. Et nota, ac latè Rota in decis. 5. Mohed. de Fide instrum. in suis impressis.

XXXIX.

Edita Anno 1596.

S Vscepti muneris ratio postulat, & infra, pagina 53. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum sess. 25. capit. 14. de Regular. decreuit, Religiosos extra claustra notoriè delinquentes, itant scandalo sint populo, à suis Superioribus seuerè puniri, instante Episcopo, & infra terminum ab Episcopo præfigendum §.1. Hic Pont. hoc idem iubet, & addit, illos Superiores Episcopum de punitione certiorem facere debere §.2. & 3. Et Superioribus eos punire negligentibus, vel ad locum, in quo deliquerint non reuocantibus pœnas infligit d. §.3. Et Episcopum contra delinquentem tàquam Sedis Apostolicæ delegatum procedere iubet d. §.3. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §.4. Contraria quæque reuocat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Religiosus, contra quem Episcopus procederet, vt in §.3. poterit exemptione ab Ordinariorum iurisdictione forsan specialiter obtenta, se tueri?

R E S P. Non, quia Episcopi contra hos Religiosos vigore huius cõstitutionis procedunt, vti delegati Sedis Apostolicæ, & Rota sic voluit in decis. Seraphin. in vna Salamantina Iurisdictionis 14. Decembris 1579.

Schol. secundum.

Quæro. Ista constitutio, in qua parte nouũ ius continet?

R E S P. In ea, qua Superiores onerat ad reuocandum delinquentem ad locum delicti sub grauioribus pœnis, quã à dicto Concilio inflictis, & in ea, in qua easdem infligit eisdem negligentib. eorum regulares coercere, vt ex lectura Concilij, & huius Bullæ verbis satis liquet.

XL.

R Omanum Pontificem decet, & infra, pagina 54. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. constitutionem edidit 91. de qua supra pagina 138. to. 2. contra malè promotos, ac Prelatos in Ordinũ collatione peccantes, sed nihil disposuit, quod à Sacris Canonibus, & Pontificijs Constitutionibus, Concilijque Tridentini decretis dispositum non esset, & pœnarum multiplicatio eis indictarum, illaqueationem parere valet, §.1. & 2. Hic ideo Pont. dictam constitutionem, & eius pœnas ad terminos Sacrorum Canonũ, & Bullæ Pij II. atque Concilij Tridentini reducit d. §.2. Præseruat tamen illam constit. quoad pœnas inflictas simoniacè ordinatis, & ordinantibus. Et sic, & non aliàs iudicari decernit, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Ex Bulla Pij II. de qua hic in §.2. requiritur ne dimissoria ita pro forma, vt non sufficiat Episcopo promouenti, cognitam esse personam pro idonea?

RESP. Dimissoria Ordinarij ita necessaria est, vt nullam quoad executionem, non quoad caracterẽ reddat promotionem absque ea factam, de persona quantumcunque idonea, & cognita, quia forma dat esse rei, eiusque omissio actum viciat, vt colligitur ex dictis Bald. in cap. Constitutus 46. de Appellat. num. 5. ac Dec. nu. 7. & in terminis nostris Mandos. eleganter in Reg. Cancellar. super reg. 24. de Malè promotis num. 11. & seqq. quæst. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si proprius Episcopus ratificet promoti omnem ab altero Episcopo factam absq; literis dimissorijs?

RESP. Optimè huic quæsito satisfacit Mandos. in Regul. Cancell. super d. reg. 24. q. 4. vbi articulo plenè discusso eleganter demonstrat, ratificationem non satis esse ad euitandam pœnam d. constit. Pij II. num. 6. & seqq.

Iu-

XLI.

Edita Anno 1596.

IVstitiæ ratio,& publicæ fidei causa,& infra,pagina 55.Bullarij.

COMPENDIVM.

Instituit Congregationem egregiorum Virorum, super Baronibus Status Ecclesiastici, vt eos, qui alieno ære contracto,varijs modis illud persoluere nolunt, ad satisfacien. ipsorum creditoribus cogant,§ 1.& 2.Nempè,quod mandata executiua contra Barones à Iudicibus relaxata exequi faciat nomine Reuer.Cam.Apost.ad commodum creditorum,super illorum Castris,& statim cesset Baronum iurisdictio,§.3. Elapso mense Castra subhastanda proponat, & absque impensa plus offerenti deliberet,§.4. Pretium inde redactum creditoribus consignari faciat,§ 5.Camera Apostolica inter oblatores admittatur.§ 6.Oblatore non reperto, Cameræ fiet adiudicatio pro pretio æstimando, quod creditoribus satisfaciat, §.7. Eiusmodi alienationem fieri iubet etiam cum Barones Montes super eorum bonis erectos,debito tempore non extinxerint, aut fructus non soluerint,aut alia contra premissa non impleuerint,§.8.Fideicommissa hanc alienationem non impedire decernit, §.9. Illisq; plenissimè derogat,§.10 Eorumque loco alia Baronum bona libera supponit,§.11.& seq.De pretio si quid superesset inuestiri mandat, §. 13. Castra per Cameram sic emenda in Bulla 35.Pij V.de qua supra pag.44.tom.2.non comprehendi declarat,§.14.Et ita,& non aliàs iudicari decernit.§.15.Contrarijsq; omnibus derogat §.16.

Schol. primum.

Quæro. Baronum vsus,nunquid antiquis etiam temporibus fuit?

RESP. Vsque de anno 800.Carolus Magnus in Catalonia expulsis inde Sarracenis eam diuisit in nouem Comites,nouem Vicecomites,nouem Valuassores,& totidem Barones,vt post Fontanell.quem allegat scribitGarz.Mastril. in suo tract.de Magistrat.lib.4.c.2.n.54.

Schol. secundum.

Quæro. Lex ista ligat Barones quamuis minores?

RESP. Ligat, quia ipsa lex generaliter loquitur, & principaliter disponit quoad bona super debitis contracta, non quoad personas Bart. in l.si fine, 33.§.Lucius ff.de administr.tutor cum alijs citatis à Roland.de lucro dot.q.44. nu.6.& Tiraq.de retract.lignag.§.1.glos.13.n.13.

XLII.

Edita Anno 1596.

CVm sicut non sine magno, & infra, pag.57. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet omnibus Italis, cuiuscumque sint status, & conditionis, ne quouis prætextu habitent, vel domicilium teneant in loco, vbi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Sacerdote Catholico non existat, in qua liberè audiri possint Missæ, & alia diuina Officia, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari,mortui sepeliri, & cætera fieri iuxta ritū S.R.E. §. 1. Abstineantq; à matrimonijs cum Hæreticis mulieribus,& ab Hæreticorum sepulturis; Filios de Sacro Baptismi Fonte per Hæreticos leuari non permittant, nec ipsi illos, nisi per Sacerdotem Catholico more baptizatos leuent, §.2.Medicorum Hæreticorum opera necessitate cessante, & vbi adsit copia Catholici Medici non vtantur ibid.Et neque ad prædicta loca accedant nisi id prius signi ficent suis Ordinarijs,vel Inquisitoribus,à quibus de multis admoneri Papa præcipit,§.3.Aduersus contrauenientes tamquam de hæresi suspectos, locorum Ordinarij, & Inquisitores procedere valeant ibid. Quibuscumque non obstantibus,§.4.

Schol. primum.

Quæro. Si quis scienter matrimonium contrahat cum hæretica non obstante supradicta prohibitione erit ne validum?

RESP. Controuersa admodum est huiusmodi quæstio in terminis iuris communis, sed frequentior est eorum sententia, qui tenent, quod sit validum, quoad Sacramentum latissimè Sanchez de Matrim. lib.7. disput. 2. per totam. Quia tamen est cum peccato mortali contractum, propterea quoad cohabitationem dirimendum esse inquit post alios Decian.lib.5.sui tract.crim. cap.41.nu.12. vers.quartò matrimonium, cum quo transit Farinac. quæst.99.numero 51. Vnde cum nullitatis matrimonij pœna hic explicitè non imponatur,sed solum, quòd contra transgressores possit procedi tanquam contra suspectos de hæresi,non est cur illam indictam iudicemus.

Schol. secundum.

Quæro. Quid verò si cum hæretica contrahat sponsalia.

RESP. Promissio huiusmodi, tanquam de re turpi, irrita est, nullamque obligationem inducit secundum Nauar.cons.5. de Sponsal.lib.4.num.6.in vltimò impressis,& sequitur Sanchez.iam citatus num.3.

XLIII.

Edita Anno 1597.

AMbitiosam bonorum, & dignitatum cupiditatem, & infra, pag.58. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Monachis congregationis Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti, ne extra gremium congregationis quoquomodo conquisitis fauoribus, aut etiam sponte oblatis à Principibus Ecclesiasticis, vel sæcularibus vtantur pro gradibus, aut dignitatibus in ea obtinendis, vel pro habenda pœnarum eis inflictarum remissione, vel alijs vijs ad prædicta aspirent, & neque ab aliquo Monasterio remoueri, seù in alterius familia deputari contra Capituli, & Superiorum voluntatem procurent, §.1. Contrauenientibus, eorumque complicibus, & fautoribus, pœnam priuationis obtentarum dignitatum, & officiorum, ac inhabilitatis de cætero, vocisq; actiuæ, & passiuæ imponit ibid. Prælatis Congregationis inhibet, ne in prædictis cuiusuis fauores attendant, §.2. Promotionesq; aliter factas irritat, §.3. Et sic, & non aliter iudicari præcipit, §.4. Contraria quæcumq; refellit, §.5. Istamq; bullam in Capitulo generali quotannis publicè legi iubet. §.6.

Schol. primum.

Quæro. Appellatione fautorum, de quibus in §.1.num venient, qui instruunt, consulunt, vel suadent supradictos Monachos ambientes?

RESP. Ita sanè, prout in specie de his fauoris actibus scribit Anchar.in cap Fœlicis 5.de Pœn.in 6. sub nu.6.& sequuntur alij communiter, necnon Franc. de Platea in suo tract.de excommunic. §.33.num.9.

Schol. secundum.

Quæro. Alijs ne modis quis fauere eisdem ambientibus dici poterit?

RESP. Proculdubio multis,qui non vno Scholio complecti possunt, eos tamen ab his, qui de fautoribus hæreticorum scripserunt, optimè colligit Farinac. quæst.182.n.1. & seqq. Caue tamen, quia non omnes huic fautoriæ conueniunt, cum latior admodum sit illis, quàm istis prohibitio fauendi.

XLIIII.

Edita Anno 1597.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra, pagina 59. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat initio sui Pontificatus, Congregationem Fratrum Ioannis Dei, eiusque Hospitalia, Ordinarijs locorum suppositisse, professionemque, & Sacrorum Ordinū susceptionem prohibuisse,& per vnum maiorē non amplius

plius regi iussisse, §.1. Iustis tamen de causis regimen. eidē Maiori restituit, & gratias Congregationi à Pio V. Greg. XIII.& Sixt.V. elargitas, citra facultatem emittendi professionem, & suscipiendi Sacros Ordines, & circa exemptionem à iurisdictione Ordinariorum locorum confirmat, §.2. Et votum inseruiendi Hospitalibus sub obedientia Ordinariorum emitti indulget, §.3. Maiorisq. electionem,& munus præscribit,§.4. Consiliariorumq; & Visitatorum,atque Priorum. §.5. Maioris potestatem,& Ordinariorum authoritatem præfinit, §. 6. Licentiam Hospitalia erigendi, & eleemosynas recipiendi Congregationi tribuit, § 7. Habitum cum scapulare, & capuccio solito designat, §. 8. Incorrigibiles quo pacto eijci possint decernit, §.9. Promotionem ad Sacros Ordines prohibet,§. 10. Ordinationes pro regimine Hospitalium constituendi facultatem tribuit,§ 11. Clausulas præseruatiuas huius concessionis apponit, § 12. Clausulam aliter non iudicandi subiungit, §.13. Contrarijs omnibus derogat, §.14. Exemplisq; credi mandat,§.15.

Schol. primum.

Quæro. Hi fratres veniunt ne appellatione Religiosorum Regularium?

R E S P. Non,quia professionem, & tria vota substantialia non emittunt. Et ideò Paulus V. qui in Hispanijs licentiam emittendi dicta tria vota cum quarto de curandis infirmis mox infra in sua constit. 69. his Fratribus concessit,eosdem Religiosos regulares declarauit.

Schol. secundum.

Quæro. Ordinariorum, de quibus supra appellatione, qui de iure veniunt?

R E S P. Episcopi, Archiepiscopi, Primates,& Patriarchæ ad text. in c. 1. § Ordo. dist. 21. & latè de his agit Leon. in suo Thesaur. for. Eccles. p. 2. c. 1. nu. 7. & seqq. post glos. & Scribb. in c. 3. de Offic. Ordin. in 6.

X L V.

Edita Anno 1596. & 1603.

PRo iniuncti nobis Apostolici muneris, & infra, pagina 60. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Gregorius XIII. constitutionem 55. de qua supra pag. 97. tom. 2. edidit quoad Fratres Reformatos S. Francisci Strictioris Obseruantiæ. §. 1. Quam hic Pont. approbat, quoad Fratres Italiæ, saluis declarationibus infrascriptis, §. 2. Quod scilicet in recipiendis Nouitijs seruetur Constitutio Sixt. V. §. 3. Monasteria eis concedenda sint apta ad duodecim saltem Fratres, §. 4. Circa reseruationem casuum seruetur decretum à se desuper editum, §. 5. Et Statuta ab eis facienda non aduersentur suis decretis in Visitatione Ecclesiarum Vrbis editis, & Prædecessorum constitutionibus, §. 6. Prædicatores, & Confessarij, & Lectores certo modo examinentur à probis Viris ad hoc, in singulis Capitulis Custodialibus deputan. & antea à nemine ad huiusmodi ministeria exercenda illi admittantur, §. 7. Fratres reformati accedentes ad loca, vbi proprios habent Conuentus, ad Fratrum de familia Conuentus in eisdem locis non diuertant, §. 8. Has dispositiones extendit postea ad Gallos, & Belgicos in § 1. & 2. subseq. Bullæ. Et circa receptionem Nouitiorum in hisce prouincijs faciendam, seruari indulget formam ab eodem traditam die 5. Septembris 1602. §. 3. Repetitq; alias ordinationes, de quibus supra in §. 4. vsque ad §. 8. Clausulas præseruatiuas addit, §. 9. Executores deputat, §. 10. Contrarijsque derogat, §. 11. Fidem transumptis huius Bullæ præstari iubet, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Capitula Custodialia, de quibus in §. 7. quando, & à quibus conuocantur?

R E S P. A Ministris, & Custodibus semel in anno, si ipsi velint, Habentur enim in Regula S. Francisci hæc verba: *Post Capitulum verò Pentecostes, Ministri, & Custodes possint singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodijs semel Fratres suos ad Capitulum conuocare,* vt refert Roderic. de Quæstion. Regul. to. 1. q. 70. art. 4. pag. mihi 409.

Schol. secundum.

Quæro. Deputati ad examen Prædicatorum, de quibus in §. 7. poterunt ne admittere Fratrem Sacris adhuc non initiatum, ad prædicandum tamen idoneum?

RESP. Poterunt, quia nullo iure cauetur, quòd mittendus ad prædicandum, debeat Ordine Sacro esse initiatus, vt latè scribit Nauar. cons. 7. lib. 1. de Offic. Iudic. deleg. n. 2. in impressis de anno 1610. pag. mihi 165. vbi respōdet, quòd text. in c. Adijcimus 19. cauf. 16. quæst. 1. quo cauetur, quòd nullus præter Sacerdotes audeat prædicare, locum habet, in volente prædicare auctoritate propria, & auctoritate sui Officij, quale habet Sacerdos curatus.

X L V I.

NVper ad nos perlatum est, & infra, pag. 62. Bullarij. Edita Anno 1596.

C O M P E N D I V M.

Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum prætextu eorum quarti voti, non recipiant de cætero Fratres Minores S. Frācisci de Obseruantia, & alios regulæ strictioris, quàm sit ipsa regula Fratrum de Mercede, §. 1. Subditq; alia ratione, quam quarti voti regulam strictiorem esse iudicandam, §. 2. Contrarijs omnibus derogat, §. 3. Transumptis huius Constit. credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Qua alia ratione regula dijudicatur strictior?

R E S P. Non ex primæua regula tantùm, sed ex multis alijs respectibus, quos prosequitur B. Thomas 2. 2. quæst. penult. Sed ad nostrum propositum ex constitutionibus post regulam factis, earumque obseruantia circa austeriorem vitam de præsenti tempore cap. Sanè 10. vbi Panorm. & alij de Regular. Card. Zabar. cons. 28 n. 1. & seqq. Lapus allegat. 61. n. 5. & allegat. 130. sub nu. 2. ac Roder. de quæst. Regular. to. 3. q. 52. art. 4.

Schol. secundum.

Quæro. An hæc eadem conclusio, locum habeat quoad Moniales?

R E S P. Habet proculdubio, nam quæ de religiosis viris disposita sunt, censentur etiam de Monialibus constituta, quoad ea proportionabilia, cap. fin. vbi Panorm. de Statu Monachor. nu. 5. Roder. relatis alijs de Quæst. Regularib. tom. 3. quæst. 52. art. 6. addens tamen in exitu requirendam esse licentiam Prælatorum, & Ordinarij iuxta dispositionem Conc. Trid. propter clausuram, quam Moniales omnes seruare tenentur.

X L V I I.

LAudabilis Apostolicæ Sedis rectitudo, & infra, pagina 63. Bullarij. Edita Anno 1596.

C O M P E N D I V M.

Confirmat Statuta, & Priuilegia Consulum Artis Aromatariorum Vrbis, §. 1. & seqq. Decernit, quòd Aromatarij conuenire possunt eorum debitores ex causa Aromatariæ in eorum Consulatu, & non in alio Tribunali sub pœna ducatorum sex applican. Ecclesiæ S. Laurentij Vniuersitatis d. Artis, §. 4. Et rei conuenti etiam priuilegiati dictum forum declinare non possint, §. 5. Consules d. Artis quando Drogherios, & alios visitare, & punire possint, §. 6. Aromatariorum libris infra quinquennium tantùm, si mercantiliter tenti sint, vel secundùm consuetudinem dictæ Artis, plena fides adhibeatur iuxta formam Motus proprij Iulij III. §. 7. Et etiam contra eos, de quorum ordine dicerentur datæ res etiam pro vsu aliorum, §. 8. Præscriptio 16. annorum contra eos tantùm opponi possit, §. 9. Priuilegio prioritatis, & potioritatis donantur

nentur contra alios Priuilegiatos, pro scutis 50.tantùm,§. 10. Aromatarij non veniunt in discussione, & moratoriæ, vel dilationes contra eos, non suffragantur,§.11. Hæredes defuncti debitoris, solutionem nullo prætextu retardare possint,§.12. Mulieres coniugatæ tenentur pro rebus ad eo rum debitum descriptis etiam viuentibus viris,§.13. Mulieres possint se, & familiam obligare pro summa scutorum 15.pro rebus medicinalibus,§.14. A sententijs Consulum vt & quando,& ad quem appellatio valeat,§.15. Alij Iudices causas Aromatariorum non reassumant,§.16. Clausulas præseruatiuas apponit,§. 17. Et derogatorias,§.18. Sanctionemq; pœnalem,§.19.

Schol. primum.

Quæro. Si Aromatarius per interpellationem interrupisset præscriptionem, poterit de nouo inchoari?

RESP. Posse censuit Rota in dec.Seraph.718.n.6.

Schol. secundum.

Quæro Hoc priuilegium, quo respectu saltem reassumptionis causarum, de qua in §.16. interesse Cameræ Apostolicæ respicere potest, fuit ne in eadem Camera præsentatum, & registratum iuxta Bullam Pij IIII. de gratijs registrandis?

RESP. Die 11. Augusti huiusmet anni admissum fuisse liquet, ex illius libris videlicet, libro Diuersor. quarto, ex decreto Iulij Vitellij tunc Cameræ Decani fol.4.

XLVIII.

Edita Anno 1597.

SAnctissimus D. N. Clemens Papa VIII. & infra, pagina 65.Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, quòd S.R.E.Cardinales, qui in præsenti Diaconi sunt, si in Diaconatu per decennium à die eorum promotionis perseuerauerint, transeuntes ad Ordinem Presbyteratus, locum obtinere possint ante omnes illos Cardinales Presbyteros, qui post ipsos Diaconos ad Cardinalatum assumpti fuerint, dummodo decem saltem Cardinales Diaconi in eodem Ordine remaneant in princ. Et etiam decernit, quòd in posterum Cardinales Diaconi promouendi eodem priuilegio potiantur, ita tamen quòd dictum decennium currere incipiat à die, quo ad Ordinem Presbyteratus promoueri potuerint, §.1.

Schol. primum.

Quæro. Quot erant olim Diaconiæ Cardinalium?

RESP. Ex primaria institutione Romæ, fuerunt sexdecim, vt inter legum interpretes refert Capic. decis.120. num.2.& Manfred.de Cardinalib. cap.4. in fine, vbi alias octo additas fuisse testatur. Et ex illis in sua constitut. 55. Sixtus V. quatuordecim selegit,§.3.supra tom.2.pag.125.

Schol. secundum.

Quæro. Si Diaconi Cardinales non intitulantur ab eorum Ecclesijs, prout Presbyteri Cardinales, vt verum est, quid dicendum de validitate alicuius rescripti Apostolici, in quo illis poneretur titulus, istis verò secus?

RESP. Illud minimè verum, sed potius falsò conscriptum censeretur, vti contra stylum Curiæ emanatum, ita censuit Hostiens. in cap. Coram 35. de Elect. num.1. & Speculat. de Libell. oblat. §. 12. numer.3. vbi id explicat Apostill.

XLIX.

Edita Anno 1597.

FRumenti penuriam, non tàm Dei iudicio, & infra, pagina 65.Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia multi extrahunt frumenta, & blada de Statu Ecclesiastico contra prohibitionem Gregor. XIII. in eius Bulla 50 de qua supra pag.95.tom.2.§.1. Et alij frumenta secondita tenent contra prohibitionem Clementis VII.& Pij V. de quibus sup.pag.108.tom.1. & pag.39.tom.2.§.2. Alij sal exterum mercantur contra alteram Gregor. XIII. prohibitionem in constit.49. de qua sup. pag.95. to.2.§.3. Hic ideò Pont.& illas, & aliam Pij IIII.constit. approbat cum pœnis ibi contentis, præterquam excommunicationis,§.4. Pœnas; addit,§.5. Baronibus prohibet à Vassallis frumenta blada,& legumina, vltra vsum vnius anni pro se, & familijs suis emere sub multis pœnis, & etiam capitis, §.6. Camerario, & Præfecto Annonæ in contrauenientes iurisdictionem tribuit,§.7. Quibuscumque non obstan.§.8.

Schol. primum.

Quæro. Ligatur ne hac lege forensis habens prædium in Statu Ecclesiastico,& inde granum extrahens,& ad eius domum in alieno deferens?

RESP. Negatiuam sententiam firmat Cyn. in l.2.C. Quæ sit longa consuet.num.11. quam simpliciter sequitur Guido Papa decis.373.nu.1.& in facti contingentia secundum illam sic iudicauit Senatus Pedemontanus, vt inquit Thesaur.decis.552.sub num.1. Et refert Caball.casu 14.lib.1.num.2.& seq. Quod facilius locum habet cum huiusmodi prohibitio dirigatur in personam, Franc.Marc.dec.238.lib.2.nu.5. quod probat Apostilla ad Guido. Pap. vbi sup. Sed caue,& pete licentiam si casus tibi contingit, quam pro quantitate tantùm tibi necessaria habebis,& non vltra nisi ex maxima gratia, & hoc est secundùm mentem Thesaur. iam citati.

Schol. secundum.

Quæro. Quid dicendum si quis confitetur extraxisse granum cum licentia, de qua non constat?

RESP. Non probatur deliquisse, si extant verisimiles coniecturæ, quòd absque licentia non potuisset extrahere ob maximam, quam adhibent diligentiam Officiales desuper deputati, vt luculenter scribit Caball. casu 224. lib.2. per tot. vbi DD. authoritates fusè recenset.

L.

CVm ad subleuandum Ordinem S.Basilij, & infra, pagina 66. Bullarij.

Edita Anno 1597.

COMPENDIVM.

Erigit tria Seminaria, seu Nouitiatus Monachorum Ordinis S.Basilij. Vnum in Monasterio S.Saluatoris Messanen.in Sicilia, Alterum in Regno Neapolitano, & aliud in Monasterio Cryptæ Ferratæ in Agro Romano, vel in Monasterio in Vrbe erigendo, & in eis à Nouitijs literis Græcis,& Latinis operam dari iubet in princip. Annuum subsidium dictis Seminarijs, à Commendatarijs Monasteriorũ d. Ordinis in Italia, vbi Seminaria Latina non sunt, velà Commendatarijs aliqua rata subsidij actu non persoluitur, præstari mandat, §. 1. Seminario prædicto S. Saluatoris quædam beneficia ad collationem ipsius Monasterij S. Saluatoris spectantia perpetuò vnit,§.2. Et vnita hactenus, atque incorporata comprobat.§.3. Procuratori eiusdem Monasterij possessionem dd. beneficiorum ex nunc, prout ex tunc, cum vacauerint, apprehendendi facultatem concedit, & cum vnioni locus factus fuerit, eorum etiam fructus exigendi quibuscumque non obstantibus,§.4.& seqq.

Schol. primum.

Quæro. Vnio, de qua in §.4. comprehendit etiam beneficia vacantia hac eadem die, qua edita est hæc Bulla?

RESP. Ita sanè, stante clausula (ex nunc, prout ex tunc,) quæ hoc operatur, & ità à Rota tentum fuisse ex Gomez. quem allegat, refert Gonzales super reg. 8. Cancell.§.5. procem.sub n. 57. Et conueniunt alij allegati per Tiraq.de Retract.conuent.§.2.glos.2.num.86.& in tract.de Constit. p.3.limit.2.num.16.

Schol. secundum.

Quæro. Ista gratia vnionis expirauit forsitan morte concedentis, quoad beneficia, quæ eo viuente non vacarunt?

RESP. Non, quia facta est gratia authoritate Apostolica, quæ per mortem Pontificis non finitur cap. Si gratiose.

nostr. 5. vbi Monach. & alij de Rescript. in 6. Vltra quod gratia dicitur perfecta hoc Pontifice viuente, quamuis eius effectus expectaretur, vt latè habetur in decis. Peniæ in vna Calaguritana Canonicatus 1. Iulij 1592. quàm habes apud Marches. in tract. de Commission. p. 1. §. 2. pag. mihi 445.

L I.

Edita Anno 1597.

RAtio pastoralis Officij nostri, & infra, pagina 67. Bullarij.

COMPENDIVM.

Plerique Pontifices Ordini Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia, & Sanctæ Claræ, ac de Pœnitentia, multa indulta concesserunt. §. 1. Quorum confirmationem ad Commissarij Generalis d. Ordinis petitionem hic Pont. (quatenus Concil. Trid. & decretis Fratrum Reformatorum non aduersentur) tribuit, supplendo omnes defectus, §. 2. & 3. Executores cum amplis facultatibus, & signanter inuocandi auxilium brachij sæcularis deputat §. 4. Contrarijs derogat, §. 5. Transumptisq; credi iubet, §. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Illa clausula (*supplentes omnes defectus*) supplet etiam defectum personæ d. Commissarij impetrantis, vt puta quòd esset excommunicatus?

R E S P. Supplet, quia non solum Papa amplissimis in hac bulla vtitur verbis, per quæ de plenitudine potestatis confirmare videtur huiusmodi Religionis priuilegia, sed etiam quia in hac comprobatione generali dicitur comprobata alia confirmatio Sixt. V. vbi defectus excommunicationis expressè reijcitur ad ea, quę scribit Roder. de Quęst. Regular. tom. 1. quæst. 8. art. 15.

Schol. primum.

Quæro. Si Iudex sæcularis præstare recusaret auxilium (quod brachium sęculare appellant) Iudici Ecclesiastico vigore suæ facultatis, de qua in §. 3. posset fortassè ab eo puniri?

R E S P. Arbitraria pœna per eum plecti posse, scribit post alios Menoch. de arbitr. iudic. casu 452. num. 3. vbi alios congerit; Quem sequitur Lopez in Pract. Canon. crim. cap. 154. nu. 20. secundùm impressionem Moguntiæ pag. mihi 510.

L I I.

Edita Anno 1598.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra, pagina 68. *Item*, Sanctissimus in Christo, & infra pag. ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ducatus Ferrariæ ob mortem Alphonsi Estensis, qui, vel eius antecessores à Sede Apostolica inuestiti fuerunt, ad eamdem Sedem deuolutus est §. 1. Hanc deuolutionem Papa acceptat, §. 2. Illum Cameræ Apostolicæ incorporat, & SS. Petro, & Paulo dicat, §. 3. & 5.

Schol. primum.

Quæro. Quis primum ex familia Estensi beneficium supradictæ infeudationis acquisiuit?

R E S P. Hoc vouni scio, quòd Azo Estensis Marchio, Sedis Apostolicæ nomine primum Ciuitati Ferrariæ præfectus fuit, eo quod strenuè operam nauauerat in bello pro eius recuperatione commisso anno 1240. cum à d. Sede ad Imperatorem illa Ciuitas defecisset, vt scribit Ciacon. in vita Greg. IX. Vnde infeudationis beneficium euenisse existimo.

Schol. secundum.

Quæro. Defuncto Alphonso statim ne Sedes Apostolica huiusmodi Ducatum recuperauit?

R E S P. Cæsar Estensis eum detinere cœpit, sed censuris Ecclesiasticis ab hoc Pont. anno 1597. die 22. Decembris publicatis, vti optimus Princeps Christianus, statim ferè obsecutus est; illud abhorrens diabolicum alterius Cæsaris Imperatoris dictum, Si violandum ius est, regnandi causa violandum est. Quod prius ab Euripide dictum fuisse scribit Caualc. de Brach. reg. p. 1. n. 60.

L I I I.

Edita Anno 1598.

LIcèt potestatis plenitudo, & infra, pagina 68. Bullarij.

COMPENDIVM.

Profecturus Ferrariam, & ad alia loca Status Ecclesiastici, Innicum Aualos S. R. E. Cardinalem, in Vrbe, alijsq; Ciuitatibus, & Terris de Latere legatum, pro bono Vrbis, & Romanæ Curiæ regimine ad eius beneplacitum, vel vsque ad Vrbem reditum constituit, §. 1. Authoritatem nedum Vrbem, & loca prædicta, sed & personas, & habitatores etiam Curiales, & ad Romanam Curiam venientes, atque incolas, eiusq; Officiales etiam exemptos gubernandi, corrigendi, ac reformandi, §. 2. Causas quascumq; ad forum Ecclesiasticum, & sæculare, ac mixtas, per viam appellationis, & recursus cognoscendi, §. 3. Sententias tàm suas, quàm aliorum Officialium exequendi, §. 4. Curiales, & Officiales coercendi, discordias insuper componendi. §. 5 Bannitosq; rebelles, & delinquentes puniendi, vel gratiandi quibuscumq; non obstantibus, §. 6. Beneficia etiam Ecclesiastica simplicia quorum reddirus, valorem ducatorum viginti quatuor non excedant, & quorum collatio dispositioni Apostolicæ quoquo modo, non tamen ratione familiaritatis Papæ, aut Cardinalium viuentium generaliter reseruata, seu ex quauis generali reseruatione affecta sunt, conferendi, §. 8. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 9. Contrarijsq; derogat. §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Circumscripta dispositione, de qua in §. 8. possetne de iure communi Legatus de latere conferre beneficia vacantia in Curia?

R E S P. Non, & sic Clemens III. decidit in cap. 2. vbi Scribb. de Præbend. in 6. & glos. fin. in c. 1. de Offic. Legat. eod. tit. Gonzal. super 8. reg. Cancell. §. 1. glos. 13. n. 40.

Schol. secundum.

Quæro. Et de beneficijs specialiter Papæ reseruatis quid dicendum?

R E S P. Idem prorsus, Regulam namque reseruationis, etiam Cardinales afficere tenuit Rota decis. 29. de Præbend. in Nou. num. 2. per tex. in c. 4. de Offic. Leg. cum ibi not. & iterum Rota in vna Regien. Canonicatus coram Pamphilio die 17. Nouembris 1595. & Gonzal. vbi supra glos. 24. num. 44.

L I I I I.

Edita Anno 1598.

CVm ob nonnullas graues, & vrgentes causas, & infra, pag. 70. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ferrariam profecturus, quo pleriq; S. R. E. Cardinales, & Romanæ Curiæ Officiales ipsum Pontificem sequentur, & alij in Vrbe remanebunt, & etiam Cancellaria Apostolica, ac Audientia literarum Apostolicarum. Vndenè oriatur dubium, an ille, vel isti Curiales censeantur, vtrosq; illis priuilegijs gaudere decernit, quibus Cardinales, Officiales, & Curiales, dum Papa Romæ residere solet, potiuntur, & gaudent, §. 1. Vnamq; Curiam omnes censeri declarat, etiam quoad beneficia, quæ tam in Vrbe, & locis, ad quæ ipse Pont. accedat, vel in quibus eundo, & redeundo moram trahet, quam per obitum illorum, qui eum, vel suam Curiam sequentur, seu ad ipsum, eiusq; Curiam pro eorum negocijs accedent, & in itinere eundo, & redeundo quomodolibet vacabunt, & de

de illis neminem, præter ipsum Pontificem disponere posse decernit, §. 2. Et ita, & non aliàs iudicari precipit, §. 3. Quibuscumque non obstantibus. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quod dubium esse poterat circumscripta hac Pontificia declaratione, de qua in §. 1. & 2.

R E S P. Aliqui tenent Curiam Romanam ibi esse, vbi est Papa, quamuis in aliquo rusticano tugurio esset reclusus; Alij verò, vbi est audientia tantùm, vt recenset Mandos. super Regul. Cancell. in 6. Reseruation. quæst. 2. per totam.

Schol. secundum.

Quæro. Pontifice sic absente, Episcopi limina Apostolorum visitantes ad Vrbem, vbi Sacra Apostolorum corpora sepulta sunt, vel ad locum, vbi commoratur Papa, qui authoritate fungitur ipsorum Apostolorum, accedere deberent?

R E S P. Vltimum verius est, quia Episcopi veniunt rationem de eorum pastorali officio reddituri, vt expressiùs habetur infra in huius Pont. const. 74. Cong. 8. in huius Bullæ rubrica à Genitore meo indicata: Quod alia tamen ratione tenet etiam Panormit. in cap. 4. de Iureiuran. num. 6. Felyn. num. 9. ac Speculat. in tit. de legat. §. 6. in fine: Puto tamen quòd Romam venire sufficeret, si Cõgregatio Cardinalium super interpretatione Concilij Tridentini, ibi remaneret, Quoniam eidem Congregationi prędicta ratio hodie reddenda est, vt in pręcit. const. 74. cauetur.

L V.

Edita Anno 1599.

MAnus Domini manus Patris, & infra, pagina. 71. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat luctuosam Tyberis inundationem in Vrbe proximis diebus secutam, §. 1. Propter gentium peccata euenisse subdit, §. 2. Hortatur itaque omnes pro auersione à vita mala, & reuersione ad Dominum, §. 3. Auxilijq; imploratione à B. MARIA Virgine, Principibusq; Apostolorum, §. 4. & 5. Solemnes ideò supplicationes, & processiones indicit ad Ecclesias S. Mariæ Maioris, & S. Petri, §. 6. Hortatur morantes in Vrbe ad eas, alios autem extra manentes ad alias Ecclesias visitandas, nonnullaq; pia opera implenda, §. 7. Quibus propterea indulgentias elargitur. §. 8. & 10. Hanc Bullam in Vrbe, & districtu publicari mandat, §. 9. Contraria remouet, §. 11. Fidem transumptis huius Bullæ præstari iubet, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Fueruntne alijs temporibus, ob eiusmodi inundationem supplicationes indictæ?

R E S P. Temporibus Gregorij Papæ II. qui ad Sedem Pontificiam anno Domini 716. ascendit, eiusq; pręcedente edicto ad malas has tempestates auertendas, sæpe Romæ supplicatum Deo fuit, secundùm Cuspinianum ex Paulo Diacono lib. 6. cap. 12. de gestis Longobardorum. Et iterum temporibus Gregorij XI. anno 1371. adeo Tyberis excreuerant aquæ, vt multa circumiacentia ædificia supergrederentur. Vnde Romani Vrbis excidium timentes B. Catherinam filiam S. Brigittę domo eduxerunt, & obuiam aquarum inundationibus obiecerunt; Qua profluuium pedibus tangente, statim abijt retrorsum, & redijt ad alueolum suum stupentibus vniuersis, vt legitur in Vita ipsius B. Catherinæ cap. 16.

Schol. secundum.

Quæro. Frequens fortasse fuit olim etiam Romæ eiusmodi inundatio?

R E S P. Fuit quidem, vt multi testantur Histor. de quibus meminit Menoch. de Recuper. possess. remed. 12. nu. 28. & latiùs Gratian. qui etiam proximè dicta recenset lib. 3. Disceptat. forens. cap. 195. nu. 22. & seqq.

L V I.

Edita Anno 1600.

REgis pacifici, qui regnat in Cœlis, & infra, pagina 72. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregatio S. R. E. Cardinalium super Consultationibus Cardinalium instituta censuit, pręcedentiam in Processionibus, alijsq; publicis actibus deberi Monachis Congregationis B. Mariæ Fulliens Ordinis S. Benedicti quoad Fratres Ordinum Mendicantium, §. 1. & seq. Hoc idem hic Pontifex decernit, §. 3. Et vbique id seruari præcipit, §. 4. Contrauenientibus pœnas infligit, §. 5. Clausulas pręseruatiuas apponit, §. 6. Executores eiusdem deputat, §. 7. Contrariaque omnia remouet, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Præcedentia ergo inter Regulares licita?

R E S P. Ita quidem, & authoritate, & rationibus plenè probat Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. quæst. 37. artic. 1. & 2.

Schol. secundum.

Quæro. Postposita Summi Pontificis declaratione, nonne consuetudo loci plurimum esset attendenda?

R E S P. In materia præcedentiæ, primas partes obtinet consuetudo, à qua non est recedendum, Rota in decis. Seraphini 716. num. 17. vbi alias indicat decisiones; Sed ad tollendum iurgia recurritur ad Papam, cuius declarationi nemini licet contradicere, prout ad propositum, multa deducit Collegium Bononien. in cons. 1. post Consilia Card. Zabar. num. 16. & seqq.

L V I I.

Edita Anno 1602.

EXponi nobis nuper fecit, & infra pagina. 74. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Decernit, quòd Archiepiscopi, & Episcopi Fratribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo liberaliter exhiberi faciant Oleum Sanctum, quod pro ministranda eiusdem Ordinis infirmis Extrema Vnctione petunt, §. 1. Et etiam à suffraganeis suis tradi curent quibuscunque non obstantibus ibidem. Huiusq; Bullæ exemplis credi iubet, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Hoc extremæ Vnctionis Sacramentum quibus ægrotantibus præberi debet?

R E S P. His, qui cum ad vsum rationis peruenerint, tàm grauiter laborant, vt mortis periculum imminere videatur, & ijs, qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate, vt habetur in Rituali Romano mox Romę cuso in tit. de Sacram. Extrem. Vnct. pag. mihi 72. vbi etiam disponitur, quid cum phreneticis, dementibus, impęnitentibus, nondum baptizatis, vltimo supplicio afficiendis, vel prælium, aut alia pericula subituris, agendum sit.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si quis delirare incipiat, postquam dum sana erat mente hoc Sacramentum petijt, vel similiter petijsset dando signa contritionis?

R E S P. Erit ei adhibendum, imò potest ligari, & violenter eidem dari, quando propter phrenesim se inungi non permitteret, vt scribit Graff. in suis decis. par. 1. lib. 1. cap. 26. num. 28. vbi ad hoc citat Archiepiscop. Florent. in Summula de Infirm. 3. part. interrog. cap. 17.

LVIII.

Edita Anno 1599.

ANnus Domini placabilis, annus remissionis, & infra, pagina 74. *Item*, Cum Sancti, & infra, pag. 76. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat annum centesimum Iubilei antiquissimo Ecclesiæ ritu frequentatum in princip. Quam institutionem Bonifat. VIII. in sua constit. 7. sup. pag. 36. to. 1. comprobauit, & alij Pont. d. tempus annorum centum ob vitæ humanæ breuitatem immutarunt, §. 1. Hic Pont. Anni Sancti celebrationem collaudat, illudq; pro anno 1600. indicit, à primis Vesperis Vigiliæ Natiuitatis D. N. Iesu CHRISTI inchoandum, & omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui si Peregrini sint, vel externi Basilicas BB. Petri, & Pauli, & Ecclesias S. Ioannis in Laterano, & S. Mariæ Maioris per quindecim dies, si verò Romani, vel Incolæ Vrbis per triginta deuotè visitauerint, & pro Christiani populi salute Deo preces effuderint, plenissimam peccatorum veniam impartitur, §. 2. Impeditosque in itinere morbo, vel alio legitimo impedimento detentos eiusdem Indulgentiæ participes facit, §. 3. Prælatis præcipit, vt omnes moneant ad eiusmodi Indulgentiam consequendam, §. 4. Principes hortatur ad subueniendum Peregrinis, §. 5. Et hoc anno durante cæteras omnes indulgentias, & absoluendi facultates suspendit, in subseq. constitut. §. 1. Contrarijs derogat, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Lucrifaciunt ne hanc Indulgentiam qui per aliquot dies in statu peccati mortalis adhuc existentes, peregrinantur, visitationem tamen Ecclesiarum in bono statu implent?

R E S P. Opinio affirmatiua verior videtur, quam tenet gloss. in extrauag. 1. Bonif. VIII. hic citati de Pœnit. & remissionib. Syluest. in sua Summa in §. indulgentia nu. 32. Nauarr. in Comment. de Iubil. & Indulgen. notab. 18. sub num. 17. & postremo Eman. Roder. tom. 2. Quæst. Regular. quæst. 98 artic. 5. vbi ipse, & iure quidem, vt opinor, tenet, satis esse vltimam partem operis, seu vltimum opus à Papa requisitum, in bono statu adimplere.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc Indulgentia potest ne pro mortuis quæri?

R E S P. Non, quia non est specificè à Papa expressum, secundùm Thomam vltra alios in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 3. & Nauar. in suis Comment. de Iubil. & Indulg. nor. 22. in princ.

LIX.

Edita Anno 1599.

IN supremo Iustitiæ throno, & infra pag. 77. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Ciuitate Ferrariæ Status Ecclesiastici erigit Tribunal Rotæ quinque Iudicum, siue Auditorum, singulo quinquennio à Consilio d. Ciuitatis eligendorum ad audiendas, decidendasq; omnes causas ciuiles, criminales, & mixtas Ducatus Ferrariæ, §. 1. Qui Auditores sint vtriusque iuris doctores, & ex locis Status Ecclesiastici, non tamen d. Ducatus oriundi, doctrinaq; & experientia præclari, §. 2. Obseruantiamq; ordinariorum Rotæ, ac d. Ducatus Statutorum, rectamq; iustitiæ administrationem iureiurando promittant, & Syndicatui stare debeant, & de dolo, fraude, & barattaria tantùm iuxta Italiæ stylum teneantur, §. 3. Eos certo modo confirmari, vel elapso quinquennio iterum eligi declarat, §. 4. Vnum autem ex Auditoribus à Consilio seligendum ad alios duos annos continuare iubet, §. 5. & 6. Prætoris officium, electionem, eiusque, & Auditorum stipendium præscribit, §. 7. & seq. ac §. 14. & 15. Habitationem, & Auditorium eis dari mandat, §. 9. Cursores, vt sunt eligendi, & ad quid, §. 10. Sportulæ Auditoribus, emolumentaq; & munera, vt permittuntur, §. 11. Consilia in certis causis, vt dare valeant, §. 12. Absentia, quando eis permittitur, §. 13. Sententiæ, vt proferendæ, §. 16. Appellationum causæ, vt tractandæ, §. 17. Causæ coram Prætore cœptæ à quo illius finitò officio terminandæ, §. 18. Rota quas causas cognoscat, §. 19. Rotæ facultas in procedendo, quæ sit, §. 20. Tutoribusq; & Curatoribus dandis, §. 21. Restitutiones aduersus peremptas instantias, quando concedendæ, §. 22. Appellatio à Rota non datur, sed reuisio in Rota, §. 23. Causæ Ducatus Ferrariæ extra non trahantur, §. 24. Prætor, & Auditores sunt Iudices Ordinarij, §. 25. Sportularum, & emolumentorum diuisio, vt fiat, §. 26. Ponens causam, quando in ea votet, §. 27. Rota, quando tenenda, §. 28. Propositio causæ quomodo fiat, §. 29. Citationum termini, quando tenendi, & declarandi, §. 30. Summarium testium, vt firmandum, §. 31. Citationes, quæ in actis redigendæ, §. 32. Præcedentia Prætoris, & Auditorum præfinitur, §. 33. Priuilegia Rotæ Bononiæ, & Concilij Iustitiæ olim Ferrariæ conceduntur, §. 34.

Schol. primum.

Quæro. In Syndicatu, de quo in §. 3. stabunt Auditores de omnibus delictis durante officio patratis, etiam ad ipsum officium non pertinentibus?

R E S P. Affirmatiuam sententiam de generalis consuetudine seruari testatur Clar. quæst. 35. num. 22. Sed aliter dicendum videtur ex bulla Clem. VII. num. 25. §. 2. de qua supra pag. 114. to. 1. par. 1. dum voluit Officiales omnes de gestis, & commissis in officijs respondere debere.

Schol. secundum.

Quæro. Absoluto syndicatu poterunt ab absentibus, & legitimè impeditis molestari, vel etiam ab alijs ex nouiter deductis?

R E S P. Non ex nouiter deductis, sed solùm à legitimo impedimento detentis, Alex. ad Bart. in l. 2. ff. Ad leg. Iul. repetundar. Put. de Syndic. in §. Officialis finito officio, num. 1. Boss. de Officiali corrupto num. 32. & seq.

LX.

Edita Anno 1599. & 1594.

NVllus omnino prætextu cuiuscumque priuilegij, & infra, pagina 80. *Item*, Ex ijs, quæ, & infra, pagina 82. Bullarij.

COMPENDIVM.

Reformationem edit Fratrum Seruorum B. MARIÆ Virginis circa seruitium Chori in princ. Et de Lectione Sacræ scripturæ, vel casuum conscientiæ in Conuentibus, §. 1. & §. 50. Paupertatisq; voto, §. 2. Vestitu, & supellectili, §. 3. Cibo, §. 4. Administratione Officialium, §. 5. & seq. Numero Fratrum cuiusque Conuentus, § 7. Prohibitione declarandi Concil. Trident. & istas reformationes, §. 8. & 28. Prædicatoribus, & Lectoribus, §. 9. Socio ex causa necessaria concedendo, §. 10. Clausura, §. 11. Exitu de Conuentibus, & reditu, §. 12. 34. & 59. Aduentu ad Vrbem §. 13. Visitatione Cellarum, §. 14. Lampade in Dormitorio, §. 15. Cellis, & Supellectili §. 16. Fenestris Conuentus, §. 17. & 60. Infirmaria, §. 18. Degentibus extra Claustra, §. 19. Nouitiorum receptione, §. 20. Hospitalitatis obseruantia, & Largitionum prohibitione, §. 21. Ambitu, §. 22. Electione Superiorum, & Officialium, §. 23. Probatione Prædicatorum, Lectorum, Confessorum, & promouendorum ad Ordines Sacros, §. 24. Obseruantia Regularum, & Constitutionum, §. 25. Tabella muneris dietim explendi, §. 26. Inobedientium pœnis, §. 27. Officij recitatione, §. 32. Allocutione tunc prohibita ad ianuam Monasterij, & Ecclesiarum aperitione, §. 33. Delinquentibus non recipiendis, §. 35. Confugientibus ad Ecclesias, & Monasteria eorum, deferendis Ordinario, §. 36. Scholis puerorum non admittendis, §. 37. Extraneis non permittendis, §. 38. Electione Lectorum, §. 39. Gradu Bacchalaureatus concedendo, §. 40. Qui

Stu-

Studentium numero adscribendi, §. 41. Qui libri in Studijs non retineantur, §. 42. Qui, & quomodo legere debeant, §. 43. Silentio in disputationibus, & alibi seruando, §. 44. & 63. Regens Studia visitet, §. 45. Prædicatores qui, & quando prædicare possint, §. 46. Theologia qualibet hebdomada tractanda, §. 47. Progressus Studiorum, vt recognoscendi, §. 48. Generalis examinet Baccha laureos, §. 49. Prioris qualitates quæ §. 41. Et Confessorum, §. 52. Et vestimentorum, §. 53. Syndici officium quod §. 54. Eleemosynæ cui consignandæ, §. 55. Cibus vt sumendus, §. 56. Sæcularia negotia vitanda, §. 57. Armorum vsus, & retentio interdicta, §. 58. Commorari in eodem Conuentu quantùm liceat, §. 61. Transitu de vno ad alium, §. 62. Quomodo Prior generalis scribat Fratribus, §. 64.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis ex istis Fratribus cōfugiat ad Ecclesiam, erit denunciandus Ordinario, vt de alijs dicitur in §. 36?

RESP. Non, quia totalis in eo iurisdictio residet apud eumdem Priorem generalem, ipsisq; non prodest immunitas Ecclesiæ, Bapt. de Salis, in sua Summ. in verbo Immunitas 2. par. 2. §. a. quem refert, & sequitur Roderic. de Quæstion. Regular. tom. a. quæst. 50. art. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Si amicus aliquis visitans aliquem Fratrem, reponat sclopum prohibitum super lecto illius, incidet in prohibitionem, §. 58.?

RESP. Non incidet, si parùm amicus ibi commoretur, & sclopum secum reportet, quia nullus dolus in Fratre considerari potest, ad scripta per Bursat. consil. 331. lib. 3. sub num. 46.

vbi inquit idem tentum fuisse in vna Britotien. Pensionis coram Gypsio.

LXI.

Edita Anno 1599.

Diues in misericordia Deus, & infra, pagina 85. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congratulatur cum Archiepiscopo Lugdunen. & alijs Episcopis in ea Prouincia constitutis de pace inter Reges Galliæ, & Hispaniæ composita, Vnde Catholicæ Religionis gloria augetur, §. 1. & 2. Hortatur eosdem vt eorum muneri de cætero pro animarum salute, & Catholicę fidei augmento ardenter incumbant, §. 3. Clericorumque delectum habeant, §. 4. Simoniæque labem exterminet, & auaritiæ suspitionem amoueant, §. 5. Sacris Ordinibus pro bos viros adscribant, §. 6. Ordinationum tempora seruent, & ordinandorum qualitates diligenter inquirant, §. 7. Seminarijs Clericorum, & Collegijs instituendis, & piè reformandis studeant, §. 8. Idoneosque promoueant, §. 9. Pręsertim vbi Catholica Religio restituitur ibidem. Ecclesias quoque, & diœceses visitent, §. 11. Sacramenta, & sacras functiones frequentent, §. 12. Cæteraque pietatis, & Episcopalis muneris opera impleant, §. 13. Et ipse Archiepiscopus harum literarum ad suæ Prouinciæ Episcopos transmissionem curet, §. 14.

Schol. primum.

Quæro. Simoniæ crimen, de cuius exterminatione agitur in §. 5. probatur ne ex donatione facta resignanti à resignatario post resignationem?

RESP. Non, quia potuit fieri ex grati animi affectu, & ita præsumitur ad euitandum delictum, & pœnam priuationis beneficij, nisi contrarium probetur, Rota in decis. Putei 171. lib. 1. num. 9. in antea impressis, & in decis. Caputaq. 439. lib. 3. in fine, & in altera decis. Pegnæ in vna Calaguritana confidentiæ die 14. Nouembris 1592.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si resignatarius dixerit resignanti, non ero tibi ingratus?

RESP. Hæc verba generalia non important Simoniā, quia in dubio sunt intelligenda de actu gratitudinis licito, vt per Sor. de Iust. & Iur. lib. 9. quæst. 8. artic. 5. conclus. 3. quem secuta est Rota in decis. Seraphini 1049. num. 9.

LXII.

Edita Anno 1599.

Ad militantis Ecclesiæ regimen, & infra, pagina 87. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam Fratres Ordinis Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captiuorum primitiuam Regulam ab Innocen. III. in sua constitut. 1. de qua supra pag. 9. tom. 1. institutam in suo rigore obseruare cœperunt in Regnis Hispaniarum, §. 1. Eorum institutum hic Pont. approbat, ipsorumq; Reformatorum Congregationem ab vno Priore per eos eligendo regendam erigit, §. 2. Et à superioritate omnium Officialium Ordinis, preter quam Magistri generalis, qui eos possit corrigere eximit, §. 3. & seq. Hos reformatos ad Carthusianos tantùm transire, & alios huius Ordinis Fratres è laxioribus Conuentibus ad eosdem venire indulget, §. 5. Ad firmandam hanc Reformatorum Cōgregationem Nuncio suo Visitatorem eligendi facultatem tribuit, §. 6. Eidemque Nuncio Statutorum stabilimentum committit, §. 7. Ministrorum quoque, Vicariorum, & Magistrorum Nouitiorum electionem, §. 8. Nouitiorumq; receptionem, §. 9. Nuncio vt præsideat Capitulo celebrando præcipit, §. 10. Ministris huius Congregationis auctoritatem illam regendi tribuit, & Capitula prouincialia, vbi alij Ministri Prouinciales eligendi erunt cogi decernit, §. 11. Necnon Procuratorem generalis apud Sedem Apostolicam, §. 12. Huic Congregationi priuilegia Ordinis communicat, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Si omnes Ordines regulares suorum Ordinum regulas obseruare tenentur, vt est certissimum, cur hæc Congregatio pro rigorosa regulæ huius Ordinis obseruantia promota est?

RESP. Quia regula ab Innocen. III. primitus data in multis fuit postea mitigata à Clemen. IIII. in sua constit. 10. de qua supra pag. 30. tom. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de huiusmodi ab hostibus redemptione Captiuorum senserūt humanarum literarum professores?

RESP. Cicero pium & Reipublicæ vtile opus appellauit, & Suetonius Iustitiæ munus esse asseuerauit, vt refert Tiraquell. de leg. Connubial. par. vltim. glos. 8. num. 287.

LXIII.

Edita Anno 1599.

Decet Romanum Pontificem, & infra, pagina 89. Bullarij.

COMPENDIVM.

Propagationi Fratrum congregationis Reformatorum Scalceatorum S. Augustini nuper in Vrbe receptæ, consulere volens, receptiones quascunque Nouitiorum in ea huc usque factas validat, & Fratres receptos verè professos declarat, §. 8. Nouitijs etiam professionem regularem emittere liberè concedit, §. a. Aliosque seruata forma constitutionis 71. Sixti V. de qua supra pag. 30. to. 2. & decretorum huius Pontificis de cætero recipiendi, & expleto Nouitiatus anno ad professionem regularem admittendi facultatem Vicario, & Fratribus elargitur, §. 3. Et obstantia quæcumque remouet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Cur non simpliciter Fratres Reformati S. Augustini dicuntur, sed etiam Discalceati?

RESP. Ad differentiam Frarrum de Obseruantia quo rum Congregatio dudum instituta fuit, vt supra in Eugen. IV. constit. 25. pag. 61. to. 1. Illi namque, & obseruantes, & Reformati nuncupabantur.

Schol. secundum.

Quaero. Quae sunt huius Pontificis decreta, de quibus in §.3.?

R E S P. Genitor meus illa congruè posuit hic infra sub const.31.quia etiam si earum aliqua iam de anno 1596. essent edita, eorum tamen ampliationes, & declarationes nō semel postea subsecutae fuerunt, vt ex earum lectura liquet.

LXIIII.

Edita Anno 1591.

ROmani Pontificis, & infra, pagina 89. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sedes Apostolica in Bulla Cruciatae Sanctae, alijsq; Priuilegijs dat quandoque facultatem eligendi Confessorem ab Ordinario approbatum, qui absoluere possit à casibus Ordinario reseruatis, & à quibusdam, qui Apostolicae Sedi reseruata sunt. Ideò Religiosi Ordinis Fratrum Beatae M A R I A E de Monte Carmelo ijs facultatibus vti praesumunt, eligendo Confessorem aliquando praeter eos ab eorum Prelatis deputatis, §. 1. Hic propterea Pont. declarat, haec priuilegia nulli cuiusuis Ordinis, & instituti in dicto articulo prodesse, sed quantùm ad Sacramenti Poenitentiae, seù Confessionis administrationem, suorum Prelatorum dispositioni eos subiectos esse, §. 2. Prelatis tamen praecipit, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos, & faciles exhibeant ibid. Quibuscunque non obstantibus, §. 3.

Schol. primum.

Quaero. Ad quid illa Pontificis monitio, de qua in fine, §. 2.?

R E S P. Ad euitandum pericula, quae ex prelatorum rigore possent oriri, nam qui vehemētèr emūgit, elicit sanguinē, vt habetur Prouerb. 30. *Et eum Deus claues Regni (glorum posuerit in terra, & imò, & in manu hominis peccatoris, vt qui sibi infirmus fuerat, fieret omnium firmamentum, non est cur Prelati inferiores se in hac re difficiles exhibeant*, ita ex auctoritate D. Ambrosij scribit ad Bullam Cruciatae Sebastian. à Costa quaest. 107. pag. mihi 186. de qua multa scripsit Capuccin. & Cordub. in Compend. Priuilegiorum Ordinum Mendican. in §. Cruciata.

Schol. secundum.

Quaero. Num Constitutio ista comprehendit Nouitios?

R E S P. Non, quia loquitur de Fratribus, quorum appellatione veniunt professi, & religiosi, non autem Nouitij, qui sunt in via ad professionem, & religionem, ita respondet Sebast. à Costa vbi supra pag. 187.

LVX.

Edita Anno 1591.

IN conferendis muneribus, & infra, pagina, 90. *Item*, Cum in literis, & infra, pagina 93. Bullarij.

COMPENDIVM.

Officium Camerariatus sui, & S.R.E. vacauit per obitum Cardinalis Caietani, §. 1. Illud confert in personam Cardinalis Aldobrandini, §. 2. Cui condonat precium dicti Officij §. 3. Concedit omnes facultates, & iurisdictiones, §. 4. Dispensat, vt possit Camerariatum cum Praefectura Breuium retinere, §. 5. Enarrat eius facultates, §. 6. Assignat emolumenta, §. 7. Innouat omnes facultates praeter hic expressas §. 8. Obedientiam ab omnibus Officialibus Camerario praestari iubet, §. 9. Eximit officium à quacumque subuentione, §. 11. Reformat eius facultates quoad multa, §. 14 & seqq. Signaturam Iustitiae in causis Cameralibus rescribere non debere declarat, §. 18. & seqq. Cameram, & non Signaturam cognoscere posse, an causa sit Cameralis decernit, §. 41. Formam praescribit venditioni pignorum Hebraeorum in §. 2. subsequentis constit. Contrarijs derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quaero. Cui ex iuris ciuilis Officialibus iste Camerarius comparatur?

R E S P. Procuratori Caesaris assimilari inquit Vestr. in Pract. Rom. Cur. lib. 2. cap. 1. num. 3. in addit. Et idem dicit de Camerario Regni Neapolis Bolognet. in Rubr. de Offic. eius, cui mand. est iurisdict. num. 17. & Capic. decis. 197. num. 3.

Schol. secundum.

Quaero. Pluries audiui à Genitore tuo, quòd Camerarius est executor priuilegij ab isto Pontifice Vniuersitati Hebraeorum Vrbis elargiti circa pensiones domorum eis locatarum? Vnde est ergo quod hic non habetur?

R E S P. Antiquum erat hoc Hebraeorum priuilegium, quod tamen pinguius reddidit iste Clemens in eius diplomate die 5. Iunij 1604. subsignato, & incuria Impressorum tunc praetermisso. Cuius in hac parte tenor hic est:

Nec non vobis, & particularibus vestrae Vniuersitatis Hebraeorum personis, vt in domibus, quas inhabitatis, & quilibet vestrum inhabitat pensiones, quas nunc ratione dictarum domorum respectiuè quilibet vestrum persoluendo remanere, nec exinde quouis praetextu ab earumdem domorum Dominis, seù patronis Christianis ejci possitis, nec etiam pensiones praedictae augeri possint, nisi in euentum, in quem praedicti Domini, seù patroni domorum in ipsis domibus aliquod notabile, & euidens augmentum, & melioramentum non necessarium, proprijs ipsorum Dominorum, seù patronorum sumptibus pro tempore fecerint, quo casu pro rata expensarum, in augmentis, & melioramentis huiusmodi per dd. domorum dominos, seù patronos faciendarum pensiones praedictas ad eam rationem pro centenario, & anno, qua declarabitur augeri posse statuimus, prout nec etiam Christiani, siue Proprietarij, siuè vsufructuarij, siue Inquilini Domorum contiguarum clausura Hebraeorum de caetero possint eorum domos ampliare, illas incorporando, aut vniendo eum domibus ipsorum Hebraeorum in dicta clausura existen. Vobis verò, & cuilibet vestrum in eisdem domibus, quas inhabitatis, & in futurum inhabitabitis, quaecumque melioramenta pro vsu vestro, & commoditate, dummodo facies domorum non mutetur, nec illis deterioramentum aliquod inferatur, ac requisitis prius illarum Dominis, seu patronis an illa eorum sumptibus facere velint, illisque recusantibus, Iudicum licentia prius obtenta, interesse habentibus ligitimè citatis vestris sumptibus facere licitum sit, nec vos desuper impediri, aut eo casu pensiones earumdem domorum vobis augeri possint, sed nec expensa per vos, vt supra factea, aliquo vnquam tempore à Dominis domorum illis inuitis per vos repeti possint, si tamen Domini huiusmodi expensas, & melioramenta eorum proprijs sumptibus facere, aut à vobis pro tempore facta persoluere voluerint, tunc similiter pro rata expensarum in huiusmodi melioramentis faciendis pensiones praedictas ad eam rationem pro centenario, & anno, qua declarabitur augeri posse statuimus, & non aliàs auctoritate, & tenore praedictis perpetuò similiter concedimus, & indulgemus, sicque, & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quo circa dilecto filio nostro Petro Sancti Nicolai in carcere Diacono Cardinali Aldobrandino Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario nostro secundùm carnem ex Fratre germano Nepoti, & pro tempore existenti

S. R. E.

S. R. E. Camerario per præsentes committimus, & mandamus; quatenus in spectan. ad officium Camerariatus per se, vel alium, seu alios vobis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciat auctoritate nostra vos, & quemlibet vestrum eorumdem præmissorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes vos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè molestari.

LXVI.

Edita Anno 1600. DEbitum pastoralis Officij, & infra, pag. 93. Bullarij.

COMPENDIVM.

Domus pro pia educatione pauperum Puellarum Dispersarum in Vrbe instituta fuit, §. 1. Et pro earum multis Deo sub suaui Religionis iugo famulari volentibus hic Pontif. erigit in Ecclesia S. Vrbani, Monasterium sub regula S. Claræ, §. 2. & seqq. Annuos redditus pro earum substentatione assignat, §. 7. Eleemosynarum receptionem permittit, §. 8. Exemptionem à iurisdictione Ordinariorum, & aliorum tributi, §. 9. Et à solutione decimarum, & aliorum onerum, §. 10. Vtsitationi, & correctioni Vicarij Vrbis, & Protectoris, ac gubernio Administratorum subijcit, §. 11. Protectorem d. Vicarium, & Cardinalem Baronium eligit cum facultate eorum causas decidendi, §. 12. & §. 21. Administratoresq; deputandi, §. 13. Capellanos approbandi, §. 14. Statuta edendi, §. 15. Moniales duas, vel tres aliunde assumendi, pro dirigendo d. Monasterio, §. 16. Abbatissæ, & Priorissæ officia distribuendi, §. 17. Administratoribus Monasterium ingrediendi in casibus necessarijs licentiam concedendi, §. 18. Illudq; visitandi, & reformandi, §. 19. Cum Monialibus circa ieiunium, & esum carnium dispensandi, §. 20. Priuilegia quoque Ordinis Sanctæ Claræ communicat, §. 22.

Schol. primum.

Quæro. Quis hoc pium opus primus in Vrbe, quouè tempore instituit?

RESP. In Petri solio sedente Gregorio XIII. Ioannes Lionardus Gorosus à Ciuitate S. Seuerinæ Regni Neapolis promouit, & anno 1595. à duobus pijs Sacerdotibus ad id per Cardinalem Rusticuccium Papæ Vicarium & à S. Congregatione Reformationis deputatis demandatum fuit teste Camillo Phanuccio, qui in suo, quod de Pijs operibus Vrbis edidit, opusculo plenius enarrat lib. 2. cap. 31.

Schol. secundum.

Quæro. Dispersæ amplius per Vrbem discurrunt?

RESP. Non, sed in amplo ad hoc extructo sub denominatione S. Eupbemiæ Monasterio, religiosè educantur, bonis artibus instruuntur, Oration, Disciplinæ, alijsq; sanctis operibus intendunt, donec, vel honestò collocentur matrimonio, vel Deo dicatæ regulam S. Claræ profiteantur, vt apud nos sciunt omnes, & recenset Camil. Phanuc. vbi supra.

LXVII.

Edita Anno 1600. HIs, quæ ad Regularium, & infra, pagina 97. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cardinalis Mattheius Protector Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia statuit in partibus, & Prouincijs Indiarum Occidentalium non admitti ad administrationes, aut aliud dignitatis officium alios d. Ordinis Religiosos, quàm eos, qui illius Prouinciæ alumni fuerit, aut illis per superiores expressè incorporati, §. 1. Id Papa ad eiusdem Ordinis petitionem confirmat, & iterato statuit, §. 2. & 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Ante eiusmodi constitutionem potuisset ne de iure eligi Prouincialis Frater alterius Prouinciæ?

RESP. Non, nisi totum eligentium Capitulum nemine prorsus discrepante id effecisset, ita tradit Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 52. art. 6. vbi ad hoc citat Panorm, in c. Cum Vvintonien. 25. de Electión, nu. 3. vers. sed vbi.

Schol. secundum.

Quæro. Prouincialis quam eo iure in suæ Prouinciæ Fratres iurisdictionem habet?

RESP. Quasi Episcopalem iux. glos. communiter approbatam in clem. 1. de Reb. Eccles. non alien. quam sequitur Zabar. consf. 89. nu. 2. Natiar. consf. 23, lib. 5. de Priuileg. per totum iuxta impressionem de anno 1610. Quinimmò quoad priuilegia maiorem authoritatem habet secundum Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. q. 44. art. 2.

LXVIII.

EX Pastoralis nostris muneris debito, & infra, pag. 97. Bullarij. Edita Anno 1600.

COMPENDIVM.

Capitulum Generale Ordinis Fratrum B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum pro bono eius regimine, & Officialium electione nonnulla statuit, §. 1. Quæ Pontifex iste declarat, & approbat; & nonnulla addit, §. 20. Festiuitatem S. Laurentij Martyris, quo die hic Ordo fundatus fuit, & S. Antonij Abbatis, qui à Greg. IX. confirmatur, extitit, in toto Ordine solemniter celebrari mandat, §. 21. Annis singulis pro animabus fidelium Christianorum, qui in infidelium captiuitate obierunt anniuersarium in fine hebdomadæ mortuorum fieri præcipit, §. 22. Magistrum generalem absque licentia Sedis Apostolicæ Commissarium Indiarum Generalem eligere vetat, §. 23. Generalem, & Prouinciales non nisi religiosum ex peritioribus expertum, & doctum ad visitandum Conuentus mittere decernit, §. 24. Libros decedentis, quando ex domo, in qua decessit, extrahi possint declarat, §. 25. Obseruantiam prædictorum præcipit, §. 26. Executores deputat, §. 27. Obstantia tollit, §. 28.

Schol. primum.

Quæro. Anniuersarium hic iniunctum Ordini in §. 22. perpetuè censetur iniunctum?

RESP. Affirmatiua sententia verior est, tum ex subiecta materia, quæ est animabus Defunctorum fauorabilis, tum ex verisimili mente Papæ, quæ præsumitur non minus respexisse animas eorum, qui in futurum obierint, quã qui obierunt, Catholicam fidem in captiuitate retinentes, Et hanc mihi sententiam probat tex. & ibi notani glos. & Scribb. in l. Annua 10. §. 1. ff. de Annuis leg.

Schol. secundum.

Quæro. Verum ne est, quòd hic Ordo Fratrum de Mercede priuilegio Regis Hispaniarum gaudet, quòd bona deperdita, & quorum ignoratur dominus pro tam pia Redemptionis opere exigendi facultatem habeat etiam si Regiæ Cameræ pertineant?

RESP. Id pro vero scribit Alphons. Perez. de Lara in suo Tract. de Anniuersar. lib. 1. c. 22. sub nu. 11.

LXIX.

CVm nouissimè Pontificale, & infra pag. 99. Bullarij. Edita Anno 1600.

COMPENDIVM.

Hic Pontifex in const. 38. de qua supra pag. 12. Pontificale reformauit in proœm. Cæremoniale postea Episcoporum reformari curauit, §. 1. Illud obseruari præcipit, §. 2. Immutari vetat, §. 3. Nec aliter debitis cæremonijs

nijs satisfieri decemit, §.4. Antiqua cæremonialia huic non contraria permittit, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Eiusmodi Cæremoniali, fides de iure danda erat?

R E S P. Danda, quia ad suam intentionem probandam Clem, V. illud allegauit in clem. 2. de Iureiuran. §. Hos itaque, & post Hostiens. & Panormit. in cap. 5. de Seru. Ordio. in specie scribit Castald. in suo Tract. de Imperat. c. 24. sub num. 3. & Rota in decis. 5. Mohed. de Fide instr. in suis impressis.

Schol. secundum.

Quæro. Cæremoniarum vtilitas quæ?

R E S P. Illis instruimur, monemur, erudimur, & ad sublimiora prouocamur, Illisq; præparamur, & proficimus in gratia, & charitate; Nos illæ conuertunt à visibilibus ad inuisibilia, fidem augent, spem confirmant, in diuinorum amorem transferunt. Hæc scribit Simanc. de Catholic. instit. in tit. de Cæremon. sub n. 6.

L X X.

Edita Anno 1600.

ORdinis vestri conseruationi, & infra, pagina 99. *Item*, Ambitiosam honorum, & infra, pagina 100. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Instituit ad propagationem Congregationis Fratrum Eremitarum S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, duos Nouitiatus, Vnum in Conuentu S. Sebastiani Veneriarum, vbi vltra alios Fratres, duodecim Nouitios, & alterum in Conuentu S. Mariæ Gratiarum Neapolis, vbi vltra alios Fratres, sexdecim Nouitios manere voluit, §. 1. Nouitiosq; ad habitum Religionis, distinctum tamen à Professis, & lapso probationis anno ad professionem iuxta formam suæ constitutionis recipi posse indulget d. §. 2. Fauores pro consequendis Prælaturis, & muneribus Congregationis, vel alijs gratijs impetrandis, exquiri, magnis propositis pœnis interdicit, §. 1. subseq. constit. adiectæ, §. 2. & seqq. Contrarijsq; omnibus derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Cur non in omnibus Conuentibus Nouitij retinendi sunt?

R E S P. Quia expedit, vt nutriantur in illis Conuentibus, in quibus magis regulariter viuitur, Alioquin Seniorū scabie corrumpuntur. & corrupta consuetudine semel imbuti, aduersus regulatem obseruantiam acerrimi semper erunt propugnatores, vt aduertit Caietan. in 2. 1. q. 189. art. 5. & Hugo super Reg. Fratr. Minor. c. 6. iuxta finem.

Schol. secundum.

Quæro. Cur non vti habitu sæculari permittitur Nouitio, durante anno probationis?

R E S P: Vt austeritatem vestium Ordinis, quem profiteri volunt experiri possint, gloss. vltima & alij communiter in cap. Super eo. 9. de Regular. Roderic. de Quæstionib. Regulat. tom. 3. q. 15. art. 9.

X X X I.

Edita Anno 1600.

IN Apostolicæ dignitatis culmine, & infra, pag. 101. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Enarrat se ad propagationem Ordinis Fratrum Discalceatorum B. MARIAE de Monte Carmelo, vnam eiusdem Ordinis domum, in Vrbe apud Ecclesiam B. Mariæ de Scala nuncupatam erexisse, §. 1. Et modò vlteriori propagationi intendens vnam Congregationem dd. Fratrum in Italia à quacumque alia Congregatione, & Prouincia, & Superioribus distinctam, ac separatam per vnum Præpositum, & Diffinitores regendam erigit, & Sedi Apostolicæ immediatè subijcit, §. 2. Priuilegiaq; Congregationi Hispanicæ elargita communicat, §. 3. Et Monasteria extra Hispaniam construendi facultatem tribuit, §. 4. Bona etiam stabilia, & alia pro eleemosyna, ac legatis pijs recipiendi, §. 5. Nouitiosq; certa seruata forma hic tradita, §. 6. Apostatas, vel expulsos à Congregatione Hispanica, vel alia quacumq, religione recipere vetat, §. 7. Monialiom curam præter Monasterij Ianuen. regimen prohibet, §. 8. Huic Congregationi Petrum à Matre Dei Priorem d. Conuentus de Vrbe præficit, §. 1. Qui erectis duobus alijs Conuentibus Capitulum pro electione Præpositi congreget, §. 10. Eoq; interim obeunte antiquior Prior succedat, §. 11. Confraternitatemq; B. Mariæ de Monte Carmelo instituere possit, §. 12. Huic Bullæ clausulas præseruatiuas, & decretum irritans apponit, §. 13. Contraria remouet, §. 14. Transumptisque fidem dari præcipit, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Confraternitas B. Mariæ nuncupata del Carmine, celebris famæ in Vrbe, num ab istis Fratribus Discalceatis vigore huius facultatis, de qua in §. 12. instituta fuit?

R E S P. Non, sed antea de anno 1598. à Clemen. VIII. erecta fuit in Ecclesia S. Martini in Regione Montium de Vrbe, in qua degunt Fratres Ordinis B. MARIAE de Monte Carmelo, quos iam diximus mitigatos nuncupari, & de hac Confraternitate meminit Camill. Phanuc. in suo Opusc. de Pijs operibus Vrbis lib. 3. c. 51.

Schol. secundum.

Quæro. Apostata, de quo in §. 7. num dicetur qui dimisit habitum, ob Prælatorum rigorem, animo citò illum resumendi?

R E S P. Non, quia apostasia propriè est retrocedere à Religione, Nauar. lib. 1. consi. in tit. de Apostat. num. 6. & seqq. secundùm impressionem de anno 1597.

L X X I I.

Edita Anno 1600.

INter multiplices Pastoralis muneris, & infra, pagina 102. Bullarij

C O M P E N D I V M.

Ad tollendum Annonæ difficultates in Vrbe, innouat constitutiones circa Agriculturam editas à Sixto IV. Iulio II. Clemente VII. de qua sup. in const. 5. pag. 108. tom. 1. & Pij V. in constit. 19. pag. 39. tom. 2. cum declaratione, quòd Domini Casalium non cogantur alijs locare, §. 1. Agricultoribus in agro Romano, indulget certis modo, & tempore extractionem frumenti è Statu Ecclesiastico, §. 2. Baronibus, & alijs mandat, quòd Vassallis permittant extra eorum Statum aliorum agros colere, §. 3. Ius banniendi circa Agriculturam eisdem Baronibus, & alijs aufert, §. 4. Clericis Agriculturam permittit in terris proprijs, §. 5. Vitulos nascituros in Mensibus Martij, Aprilis, & Maij, pro tertia parte ali præcipit, §. 6. Boues aratorios, & iuuencos mactari vetat, §. 7. Et de districtu extrahi, §. 8. Decretum irritans apponit, §. 9. Camerarium, & Annonæ Præfectum executores deputat, §. 10. Contrarijs derogat, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Clericis nonne à iure erat permissa in terris proprijs agricultura?

R E S P. Erat quidem, vt est tex. in cap. 3 dist. 91. & c. Nunquam 33. de Consf. dist. 5. & cap. 1. vbi glos. & Abb. de Celebrat. Missar. cum alijs relatis à Tiraquell. de Nobilit. c. 32. n. 3. vbi latè agit de nobilitate artis agriculturæ. Hic autem Pont. hoc iuris communis priuilegium innouat, ne spolia ob eam tem prætendi possint ex capite illicitæ negotiationis?

Schol. secundum.

Quæro. Boues aratorios mactari antiquior ne lege vetitum fuit?

R E S P. Lege Attica id prohibitum scribit Aelianus libr. Variat. Histor. Quinimò Plinius refert, quendam Romæ exulare iussum, quòd Bouem aratorium occidi iussisset,

sufficet, vt scribit Menoch. de Arbitrar. Iudic. casu 378. num. 5.

LXXIII.

Edita Anno 1599.

IN supremo militantis Ecclesiæ solio, & infra, pagina 103. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum in Regno Scotiæ Catholicam fidem retinentes, & qui ex eodem Regno præscripti ad Sedẽ Apostolicam recurrant, pro Adolescentibus d. Nationis piè educandis, & bonarum artium Studijs instruendis Cælestini, Honorij, & aliorum Romanorum Pontificum, qui d. Regni præcipuã curam habuerunt, vestigijs inhærens, Collegium in Vrbe instituit, §. 1. Annuos redditus assignat, §. 2. Sub protectione Sedis Apostolicæ ponit, §. 3. Exemptionem ab aliorum omnium iurisdictione, gabellarumque solutione concedit, §. 4. Priuilegia Studij Vrbis, & Collegij Germanici, Anglici, & Græci communicat, §. 5. Protectionem, & regimen S.R.E. Cardinali Burghesio delegat, §. 6. Huic concessioni clausulas præseruatiuas adijcit, §. 7. Executores deputat, §. 8. Contrariaque refellit, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. De quo Cælestino loquitur hic Pontifex in §. 1.

RESP. De Cælestino III. qui ob fidem, & erga Romanam Ecclesiam d. Regni maximam deuotionem, nonnullis illud priuilegijs decorauit, quæ in hoc ipsius Cęlestini diplomate, quod sequitur, leguntur.

COELESTINVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei,

Carissimo in Christo filio Vuillelmo illustri Scotorum Regi, salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVM vniuersi Christi iugo subiecti apud Sedem Apostolicam patrocinium inuenire debeant & fauorem; illos tamen specialius conuenit promotionis munimine confoueri; quorum fidem, & deuotionem in pluribus est experta; vt ad ipsius dilectionis fauorem tanto amplius prouocentur, & eius reuerentiæ deuotiori affectione subdantur, quanto beneuolentiæ ipsius, & gratiæ pignus se nouerint certius assecutos. Ea propter carissime in Christo fili reuerentiam, ac deuotionem, quam ad Romanam te habuisse à longis retro temporibus Ecclesiam nouimus, attendentes præsentis scripti pagina duximus statuendum, vt Scoticana Ecclesia Apostolicæ Sedi, cuius filia specialius existit, nullo mediante, debeat subiacere. In qua hæ Sedes Episcopales esse noscuntur; Ecclesia videlicet Sanctæ Andreæ Glascuensis, Dunkeldensis, Dumblinensis, Brehinnensis, Aberdonensis, Moratiensis, Rosanensis, Cathinensis. Et nemini liceat, nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius latere destinato, in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit decernimus non valere. Adijcimus, vt nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes, propter hoc de corpore suo specialiter destinauerit, licitum sit in eo Legationis officium exercere. Prohibemus autem, vt controuersiæ, quæ fuerint in Regno illo de possessionibus eius exortæ, ad examen extra Regnum positorum Iudicum non trahantur, nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua verò scripta contra hoc libertatis Statutum apparuerint impetrata, vel in posterum, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari, nullum tibi, vel ipsi Regno circa huius prærogatiuæ concessionem præiudicium generetur. Præterea libertates, & immunitates tibi, vel ei Regno, vel Ecclesijs in eo constitutis à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus obseruatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli, &c. Si quis, & cæt. Datum Laterani tertio Idus Martij Pontificatus nostri Anno Primo.

Schol. secundum.

Quæro. Qui sunt alij Romani Pontifices, qui d. Regni præcipuam curam gesserunt?

RESP. Ante Cælestinum multa pro eo egit Clemens III. quæ Rogerius in Annalibus Anglican. recenset, & præter alia eadem ferè priuilegia à Cælestino concessa, iam ipse elargitus fuerat anno 1188. quod idem Rogerius recitat.

LXXIV.

Edita Anno 1599.

ONerosa Pastoralis Officij cura, & infra, pagina 106. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. Religiosos Societatis IESV, & non alios ad Iaponum Prouincias proficisci, prædicandi, aut docendi causa decernit, §. 1. Sed quoniam Populorũ multitudine aucta, dictorum Religiosorum numerus non sufficit, §. 2. Hic ergo Pont. omnium Ordinum Mendicantium Superioribus indulget, ad prædicta munera obeunda eorum religiosos probatæ vitæ, & eruditionis, per Lusitaniam tantum transmittere posse, §. 3. Quas missiones ijdem Superiores vtiles esse curent, § 4. Missi verò ad loca assignata peruenti, obedientiæ suorum Superiorum subiecti sint, iuxta eorum regulas, ibique eorum muneri satisfaciãt sub obedientia Episcopi circa Pręedicationem, & Sacramentorum administrationem, §. 5. Controuersias inter Religiosos prædictos oriundos Episcopi diffiniant, & grauiora negotia Papæ significent, §. 6. Ex insulis Philippinis, & aliqua Indiarum Occidentalium parte transitum prohibet ad Insulas Iaponicas, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Cur solum per Lusitaniam transitus est permissus, vt in §. 3.?

RESP. Quia propagationi Catholicæ fidei vtilis spectatur; Sed non ita euenit, ideoque à Paulo V. transitus etiam per alia loca permissus est in eius constit. 2. quæ post huius Bullæ impressionem ad manus Genitoris mei peruenit, & ob hanc rem ad Appendicem fuit transmissa, vt ibi videre est pagina 49. vnde hic in rubrica de more iudicare non valuit.

Schol. secundum.

Quæro. Illa verba, §. 5. *Missi sint Superioribus iuxta eorum regulas subiecti* operantur forsan, vt in cęteris in regula non expressis, eis subiecti esse non teneantur?

RESP. Non, quia Religiosus in omnibus tenetur Prælato obedire, quorum contrarium non pręcipit Deus, vt ex S. Thoma communiter recepto tenet Nauar. consil. 1. de Constitution. lib. 1. num. 7. secundum impressionem de anno 1610.

LXXV.

Edita Anno 1599.

SVperna dispositione, & infra, pagina 107. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. approbauit Congregationem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, §. 1. Eorumque regulam primò constituit Gregor. XIV. supra in constitut. 17. pag. 146. to. 2. §. 2. Quia tamen aliquæ difficultates ortæ sunt circa d. regulam, & regimen d. Congregationis, §. 3. & seqq. Propterea egregij viri ad hoc ab isto Pont. deputati, & alij Religionis Patres statuerũt, quòd Patres, & Fratres huius Congregationis omnes, infirmis, tàm

in Spi-

in spiritualibus, quàm temporalibus in Hospitalibus, Carceribus, ac priuatorum domibus seruire debeant, §.7. Veruntamen circa hoc seruitium non esse subiectos Hospitalium, aut Carcerum Superioribus, sed eorum Religionis, §.8. Omnesq; tria vota castitatis, paupertatis, obedientiæ, ac seruitij prædicti emittere teneri, §.9. Et formam professionis tradunt, §.10. Quapropter simplicia vota quotannis ab omnibus in festiuitate Inuentionis Sanctæ Crucis renouari mandat, §.11. Primum de non immutando d. seruitiū, nisi arctius sit restringendum, §.12. Secundum de non recipienda administratione, vel dominio eiusmodi Hospitalium, §.13. & 16. Secundum non procurandi Prælaturā in Religione, nec extra, §.14. Quartum de reuelando procurantes dignitatem in Religione vel extra, §.15. Sacerdotū munus erga infirmos præscribit, §.17. Fratrumq; Ministeria, §.18. & seqq. Eorumque in Hospitalibus habitatio, quæ esse possit, §.21. Et semper sub regimine Superiorum Religionis, §.22. Ad quos spectet etiam deputatio seruientium in Hospitalibus, §.23. Oblati recipi possunt absq; votorum emissione, § 24. Fœminis ægrotantibus in Hospitalibus quomodo Sacramenta sint administranda, §.25. Superiores Congregationis dispensare possint cum inhabilibus ad dicta onera, §.26. Capitulum generale quolibet sexto anno celebretur, & qui interuenire debeant, §.27. Præfectus generalis ad sex annos eligatur, §.28. Et eius quoque Consultores, §.29. Ipsi, & arbiter Consultæ in Capitulo Generali eligantur, §.30. Obeunte Generali primus Consultor eius locū gerat, §.31. Diffinitores Capituli generalis quatuor sint, & quod eorum sit munus, §.32. Superiores Religionis ex numero Vocalium Sacerdotū sunt eligendi, §.33. Prouincialium, & Præfectorum duo sint Consultores vnus Sacerdos, & Frater vnus, §.34. Fratrum appellatione intelliguntur non promoti ad Sacerdotium, §.35. Et quæ, & quando inter eos sit præcedentia, §.36. Patres solum Sacerdotes appellantur, Et quæ sit inter eos præcedentia, §.37. Examinatores Nouitiorum qui, & quot, eorumque suffragia quæ, §.38. Recipiendorum ætas non sit minor annis 18. nec maior annis 45. §.39. Nouitij exacto biennio ad studia promoueantur, & non ante, §.40. & 42. Eorum biretū quale durante Nouitiatu, §.41. Nouitiorum vita, & mores quolibet sexto mense inquirantur, §.43. Habitatio eorum sit communis, §.44. Quartum votum, de quo supra emitten. indistinctè completo Nouitiatu, §.45. Nouitiorum domus in locis fundandæ sunt, vbi sunt Hospitalia, in quibus Cōgregatio institutum suum exercere possit. §.46. Ius suffragij actiuè, & passiuè, quando haberi potest, §.47. Numerus Religiosorum secundum eleemosynas in domibus præfigatur, §.48. Fratres professi presbyterali pileo vti possūt, §.49. Habitus Religiosorum sit omnium vniformis. §.50. Religioni conceditur capacitas quorumcūque redituum pro infirmorum, & Officialium sustentatione, §.51. Bona Religioni relicta à Generali, & Consultoribus applicātur Nouitiatibus, & Valetudinarijs, §.52. Domus autem Professæ de eleemosynis viuant, §.53. Perpetuæ Missarū obligationes, vt recipiendæ, §.54. Patres qui possint in Religionis Ecclesijs confessiones audire, publicè sermocinari, & alia exercitia Ecclesiastica exercere. § 55. Dispēsatio seruiendi in Hospitalibus vetatur, §.56. Nouitij à quibus recipiendi, §.57. Prouinciæque diuidendæ, §.58. Domus, & Hospitalia à quibus administranda, §.59. Præfecti Generalis facultas dubia tollendi in prædictis, §.60. Supradicta Statuta ab isto Pontif. confirmantur, §.61. Constitutionibus quæ huic refragantur, ac cæteris contrarijs derogatur, §.62.

Schol. primum.

Quæro. Cum hic non decidatur, an potestas recipiendi Nouitios spectet ad Capitulum, & alios iuxta formam const. 71. Six. V. de qua sup. 130. tom. 2. nonne illa forma seruanda erit?

R E S P. Potestas hæc hodie apud tres antiquiores cuiusque Domus Patres à Capitulo Prouinciali eligen. ex decreto huiusmet Pont. ante hanc Bullam edito, quod est in const. eius 3. translata in Append. à Genitore meo, quam opportuno tempore habere non potuit.

Schol. secundum:

Quæro, Nouitijs poterit ne expleto tempore Nouitiatus concedi à Superiore dilatio ad profiten. si idoneus ille iudicetur?

R E S P. Nauar, in cons. 30. de Regular. lib. 3. num. 1. secundum impress. de anno 1590. inquit, ex aliqua iusta causa posse, & iure antiquo licuisse, & in vsu fuisse, neque contrarium Statutum fuisse à Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 55.

L X X V I.

SAnctissimus D.N. volens, & infra, pag. 113. Bullarij. *Edita* Anno 1601.

C O M P E N D I V M.

Vt causæ ad S. Inquisitionem spectantes omni, qua decet, integritate expediantur, decernit, Officiales quæcunq; Acta, Decreta, & alia gratis expedire, & etiam à sponte dantibus nihil omnino recipere debere, §.1. Eorumq; Secretarios, & Notarios Scripturas Processuum, seu testiū, quas mittunt ad Inquisitionem Romanam gratis mittere teneri, §.2. Et omnes mandatis generalis Inquisitionis Romanæ statim parere, §.3. Istudque decretum obseruare, & obseruari facere, & eius exemplaria in Cancellarijs affixa sub pęna indignationis Sanctissimi, & alijs eius arbitrio infligendis pœnis, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Pœna, de qua hic in fine refertur ad omnia capita superius enunciata?

R E S P. Referri puto, quia non est creden. vltimo capiti, & non alijs pęnam imponere voluisse, & etiam quia similis pœna indignationis videtur etiam de iure communi imposita istis Officialibus, prætextu Officij quicquam extorquentibus, vt habetur in clem. 2. de Hæretic.

Schol. secundum.

Quæro. Illud verbum (*nihil omnino*) nonne patitur aliquam distinctionē, vt non comprehendat quid minimū?

R E S P. Nullam, quia verbum *omnino* iunctum negatiuæ, omnem penitus distinctionem reijcit, ita perbelle ostendit Alex. cons. 13. lib. 2. nu. 7. & in cons. 72. lib. 6. n. 10. vbi concord. allegat.

L X X V I I.

ROmana Catholica Ecclesia, & infra, pagina 113. Bullarij. *Edita* Anno 1601.

C O M P E N D I V M.

Omni tempore, quo Catholica Ecclesia Tyrannorum, & hæreticorum perturbationem passa est, Deus suscitauit aliquem Sanctum, qui eius fidem propagaret, §.1. B. Raymundus Barchinonen. Ordinis Sancti Dominici multos Infideles ad fidem reduxit, §.2. Gratia curationum, & vitæ Sanctitate præfulsit, §.3. Miraculis etiam claruit, §.4. Oriundus ex Barchinona, § 5. Quamplures gratis docuit, §.6. Bononiæ publicè legit Canones, §.7. Canonicus Barchinonensis creatur, §.8. Annunciationis B. MARIAE festum solemniter celebrari curat, §.9. Magnæ fuit apud omnes authoritatis, ac Sanctitatis, §.10. Ordinem Sancti Dominici profitetur, §.11. Præcipuas Religiosorum virtutes amplectitur, §.12. Humilitate, paupertate, castitate emicuit, §.13. & seqq. B. MARIAM Virginem assiduè inuocabat, §.16. Pauperum, & Captiuorum curam gerebat, §.17. Ordinis B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum Statuta præscripsit, §.18. Cum Cardinale Episcopo Sabinen. Legato profectus in Hispanijs prædicat. & multos ad salutis semitam reduxit, §.19. Gregorius IX. Capellanum suum, & Pœnitentiarium deputauit, §.20. & 21. Pater pauperum appellatur, & Decretales in Ordinem redigit, §.22. Archiepiscopatum Tarraconensem recusat, §.23. Barchinonem redit, §.24.

Sani-

Sanitati Semimortuum restituit, §.25. Pœnitentiarij munere sponte, se abdicauit, §.26. Generalis Ordinis S. Dominici absens declaratur, §.27. Biennio elapso sponte Magistratum dimittit, §.28. Regi Aragonum, vt officium S. Inquisitionis in suo Regno institueret, suasit. §.29. Cum eodem author fuit, vt Euangelium Sarracænis prædicarent, §.30. Miraculosè mare transfretauit, §.31. Seminarium pro suis Religiosis instituit, & Neophitorum curam suscepit, §.32. Multis virtutibus clarùit, §.33. & seqq. Annum ferè centesimum agens, anno 1572. obdormiuit in Domino, §.41. Eius exequias Alphonsus Castellæ, & Iacob. Aragonum Reges cohonestarunt, §.42. Quidam Guglielmus postea eius precibus à lepra mundatur, §.43. & seq. Mortua quædam Mulier nomine Margarita vitæ restituitur, §.45. Alijs sanitatem restituit, §.46. & seqq. Reges, & Populi à Romanis Pontificibus pluries eius canonizationem petierunt, §.53. & seqq. Hic Pont. seruatis prius seruandis Beatum Raymundum Sanctum declarauit, ac Sanctorum numero adscribit, & eius festum die 7. Ianuarij quotannis agi iubet, §.69. Missamque solemniter celebrauit, & interessentibus Indulgentiam concessit, §.70.

Schol. primum.

Quæro. Quæ primum Canonizatio à Summo Pontifice solemniter acta fuit?

RESP. Anno 1803. à Leone III. Suitbertus Episcopus Vuerdensis sic in Sanctorum numerum relatus fuit, vt scribit Cardin. Bellarmin. to. 1. Controuers. lib. de Sanctor. Beatitud. & Canoniz. cap. 8. & sequitur Rocca de Canonizat. Sanctor. cap. 5. vers. Ego verò, Eiusque Festum agitur die 1. Martij, vt in Martyrolog. Roman. & eiusdem vitam transcribit Sur. tom. 2. ead. die.

Schol. secundum.

Quæro. Margarita, quæ in §.45. dicitur vita restituta, potuit testificari de his, quæ viderat ante eius obitum?

RESP. Potuit, quia qui verè resurgit, est idemmet homo Bald. in cap. 5. Vt lit. non contest. num. 10. Troyl. Maluet. de Canoniz. Sanctorum, 3. dub. num. 6. & seq.

LXXVIII.

Edita Anno 1601.

ROmanum decet Pontificem, & infra, pagina 121. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. in sua constit. 3. de qua supra pag. 111. tom. 2. vetuit subditis Sedis Apostolicæ bona stabilia Status Ecclesiastici in forenses non subditos alienare, vel castra, & fortalitia absque licentia d. Sedis, §.1. Et quia aliqua desuper exorta sunt dubia hic Pont. d. const. Six. V. approbat, §.2. & 3. Communitatesq; & Principes extraneos stabilia vel censûs, & alia, quæ pro stabilibus habentur, exceptis Officijs Romanæ Curiæ, & locis Montium in Statu Ecclesiastico acquirere non posse decernit, §.4. 5. & 8. Dispositiones aliter factas irritat, §.6. Notarijs earum dispositionum rogitum prohibet, Instrumentorumque exhibitionem eis præcipit, §.7. Illisq; & contrahentibus contra formam huius constitutionis pœnas imponit, §.8. Subditis seipsos Principibus, & Communitatibus extraneis supponere prohibet, §.9. Aut eorum bona in Statu Ecclesiastico existentia, pro illis quo quomodo obligare, §.10. Decretum irritans subijcit, §.11. Præceptum obseruantiæ addit, §.12. Contrarijsque derogat, §.13.

Schol. primum.

Quæro. Si subditus Papæ bona sua omnia generaliter obligaret pro Principe extraneo censeretur forsan obligasse prohibita obligari in §.10.?

RESP. Non, quia non est verisimile huic legi pœnali voluisse contrauenire l. obligatione 6. ff. de Pignor. Alexan. consil. 41. lib. 6. in princip. vbi de communi Rota in decis. Seraphin. 421. num. 6. & decis. 1290. num. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si obligans non habet alia bona, quàm existentia in Statu Ecclesiastico?

RESP. Censetur illa obligasse, quia non præsumitur frustratoriam obligationem fecisse Alberic. in d. l. obligatione num. 2. Gabr. de Regul. iur. conclus. 12. nu. 2. Marsil. in l. 1. §. si seruus, ff. de Quæstion. nu. 5. Rota in decis. Lancell. 425. par. 1. Diuersor. num. 8. vers. quinto.

LXXIX.

Edita Anno 1601. et 1602

CVm nos aliàs, & infra, pag. 124. *Item,* Cum ad vberes, & infra, pag. 124. *Item,* Etsi cunctæ, & infra, pagina ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia hic Pont. in sua constit. 4. de qua supra pagina 2. Ordini Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum solemnem celebrationem festi S. Laurentij Martyris, quo die Ordo iste fundatus, & festi S. Antonij Abbatis, quo die à Gregorio IX. confirmatus fuit, concessit in procem. Et benedictionem generalem, quę ab eodem Ordine in festo S. Catherinæ Virginis & Martyris, ac feria 4. Cinerum, & feria 5. Cœnæ Domini celebrari consueuit, approbauit, §.4. Eam modò benedictionem etiam in dictis festiuitatibus S. Laurentij, & S. Antonij fieri indulget. §.3. & in subseq. constit. Laudes Ordinis enarrat in proęm. Subdit Ordinem certis anni temporibus eius indulgentias alijs cômunicare consueuisse, & in ea quosdam abusus irrepsisse, §.1. Permittit itaque d. communicationem Indulgentiarum Confratribus & Consororibus præsentibus, contritis, confessis, & in Ecclesijs ipsius Ordinis fieri, & etiam communicationem bonorum operum eisdem personis, §.2. & seqq. Formam d. communicationis præscribit, §.4. & 5. Et ita, & non aliter fieri præcipit §.6. Quibuscunque non obstan. §.7. Tenor supradictæ formæ subnectitur vsque ad finem.

Schol. primum.

Quæro. Bonorum operum eiusmodi communicatio, de qua in §.4. proderit Confratribus, & Consororibus ad quęren. gratiam via iustitiæ, & de condigno vel de congruo?

RESP. De congruo solum, vt sequendo D. Thomam declarat Nauar. de Orat. Miscellan. 26. sub num. 8. dicens, quod solus Christus pro alio potuit gratiam mereri de condigno.

Schol. secundum.

Quæro. Maximum aliquòd meritum de congruo, perueniet vsque ad meritum de condigno?

RESP. Non, etiamsi illud in omni latitudine esset maximum, vt tradit ibid. Nauar.

LXXX.

Edita Anno 1593. 1600. et 1601

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 126. *Item,* In his rebus, & infra pagina 127. *Item,* Ordinis vestri, & infra, pag. 128.

COMPENDIVM.

Prælati Ordinis Fratrum Seruorum Beatę MARIAE Virginis proponunt huic Pontif. restitutionem antiquæ Eremi Montis Senarij, §.1. In quo vltra alia spiritualia exercitia abstineant Eremitæ ab esu carnium, § 2. & 3. Et ieiunare in Quadragesima, & Aduentu, ac 2. 4. & 6. Ferijs in alijs anni temporibus, §.4. Proprietatemque non agnoscant, §.5. Restauratio dictæ Eremi, & gubernium spectet ad Conuentum Beatæ Mariæ Annunciatæ Ciuitatis Florentiæ, §.6. Hic ergo Pontif. ista approbat, §.7. & seqq. Eremi Montis Senarij titulum concedit, §.9. Superioribus dictus Conuentus, ac Priori Generali, & Prouinciali subijcit, §.10. Qui Conuentus necessaria Eremo subministret, §.11. In contrarium acta, nulla decernit, §.12.

§.12. Executoresq; huius Bullæ deputat, §.13. Vicarium Eremi, ex ipsis Eremitis eligi iubet, §.6. Eorum professionem, & modum statuit, §.17. Post eam ab Eremo discedi prohibet, §.18. Superioribus au&toritatem dandi licentiam circa seruitium Chori, & ieiunium aufert, §.19. Nouitiorum recipiendi formam præscribit, §.20. Infirmis eius carnium quando concedi possit declarat, §.21. Alijs omnibus etiam exteris in Eremo vetat, §.22. Hospites biduo tantum permitti decernit, §.23. Legata omnia, & eleemosynas Eremus habere possit, §.24. Quæ pro Eremi sustentatione, & augmento esse iubet, §.25. Quibuscunque non obstantibus, §.26. Nouitiatum in eo erigit, §.27. & seq. Contrarijsque derogat, §.29.

Schol. primum.

Quæro. Huius Eremi nunc restitutæ quot fuerunt illi primi antiqui promotores?

RESP. Septem nobiles Viri Florentini anno 1233. vt scribit Roderic. de Quæstion. Reg. tom. 1. quæst. 3. artic. 5. & Ciacon. in vita Innocen. IIII. (licèt ibi erret in tempore) & Azor. de Institut. Moralib. tom. 1. lib. 13. pagina mihi 1661.

Schol. secundum.

Quæro. Qui fuerunt illi promotores?

RESP. Bonfilius Monaldus, Bartholomæus Amadeus, Bonaiun&tus Manettus, Manettus de Antella, Sostenius de Sostenijs, Recuperus Vguccionis, & Alexius Falconerius in altissimo Monte Senario, Eremiticam vitam docere cœperunt, Oratoriumque Beatæ MARIAE Virginis constru xerunt, vt perlegi in Prologo nouarum Constitutionum di&tæ Eremi à Paulo V. comprobatarum, & Florentiæ anno 1613. impressarum.

LXXXI.

Edita Anno 1601.

ETsi aliàs fel. record. Paulus Papa IV. & infra, pagina 128. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Paulum IV. statuisse, quòd non promoti ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, Missarum celebrationē vsurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumētes, ab Inquisitoribus Curiæ sæculari tradantur, debita animad uersione puniendi in proœm. Et Sixt. V. eandem legem confirmasse, nonnullos tamen prætextu eius ignorantię, di&tis pœnis obnoxios non esse prætendere, §.1. Ne igitur in futurum de impositione di&tæ pœnę valeat hæsitari, decernit, prædi&tos delinquentes à Iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs à foro Ecclesiastico abijciendos esse, & ab Ordinibus Ecclesiasticis ritè degradatos Curiæ sæculari debitis pęnis ple&tendos tradi, §.2. & 3. Quibuscunque non obstantibus, §.4. Et vt ignorantia huius Constitutionis minimè de cætero valeat allegari, decernit eam Romæ publicari, & exinde, qui in Vrbe post mensem, qui verò extra eam citra montes post quatuor, & qui vltra montes post decem Menses ar&tare, ac si personaliter eis intimata foret, §.5. Et eiusdem transumptis credi iubet, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Degradatio, de qua hic agitur, quo iure introdu&ta?

RESP. Iure diuino, Exodi, vbi de Altari certos delinquentes euelli mandat, hoc est, degradari, vt moriantur & ita scriptum reliquit Ancharan. in cons. 158. num. 5. Tusc. in litera D, conclus. 139 num. 5.

Schol. secundum.

Quæro. A&tualis degradatio à locorum Ordinarijs fienda, vt in §.3. potest ne fieri ab Episcopo ele&to, nondum consecrato?

RESP. Non, quia hæc potestas ordinandi Clericos cōfertur Episcopis in eorum consecratione cap. Quod sicut 28. §. præterea de Ele&. & consequenter ele&tus, & non cōsecratus eam non habet, & multò minus Clericos deponendi, cum maior potestas requiratur in auferendo, quàm in conferendo, ita post alios tenet Arnald. Albertin. in repe tit. cap. 1. de Hęretic. in 6. quæst. 6. num. 6.

LXXXII.

Edita Anno 1602.

ALiàs fel. record. Gregor. XIV. & infra, pagina 129. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Gregorius XIIII. Fratres Capuccinos aliorum Confessiones Sacramentales, nequaquam audire posse decreuit in proœm. Et tamen plerique desiderant di&tis Capuccinis ob eorum in eorundem Ordinem deuotionem, confiteri posse, §. 1. Moderando hic Pontif. prædi&tam Gregorij Constitutionem statuit, vt Minister Generalis, & Diffinitores in Capitulo generali tantum congregati, & vsque ad aliud subsequens Capitulum generalem, & non vltra, & sic de Capitulo ad Capitulum, religiosis ipsius Congregationis Capuccinorum, ad audiendum Confessio nes approbatis, licentiam concedere possint, sæculatium vtriusque sexus confessiones audiendi, §.2. Et quascunque alias licentias reuocat, §.3. Contraria remouet, §.4. Et huius Constitut. transumptis credi mandat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba (*ad audiendas confessiones approbatis*) intelliguntur nè de approbatione Superiorum ipsius Ordinis, vel potius Ordinariorum?

RESP. De vtraque; sic etenim statuit hic Pontif. infr. in constitut. 115. §. 9. & ante eum Pius V. in sua constitut. 233. de qua supra pag 73. tom. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Approbatus semel ab Ordinario num sufficiet?

RESP. Sufficere iam declarauit Pius V. in di&t. eius Constitut. 133.

LXXXIII.

Edita Anno 1596. 1599. 1602. et 1603

IN suprema Catholicæ Ecclesiæ specula, & infra, pag. 129. *Item*, Regularis disciplinæ, & infra, pag. 130. *Item*, San&tissimus in Christo, & infra, pag. 130. *Item*, San&tissimus, & infra, pagina 130. *Item*, Cum ad Regularem, & infra, pagina 131. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus Quintus Constitut. 71. de qua supra pagina 130. numero 2. edidit circa formam, & qualitates admitten. Religiosos ad Ordines Regulares, §. 1. Gregorius Decimusquartus in sua constitut. 3. de qua supra pagina 143. tom. 2. moderationem adhibuit, §. 2. Hic Pontif. renouat, & ad terminos iuris reducit Sixti Quinti constitutionem in his, quæ concernunt nullitatem professionis Nouitiorum, §. 3. Pęnas tamen impositas Superioribus Ordinum præseruat, §. 4. Subsequuntur decreta circa admissionem Nouitiorum, Quod scilicet solum in locis destinandis in §. 1. & seqq. Et examinentur, vt in constitut. subseq. Nouitiatuum formam, & qualitates præscribit, §. 26. Magistrorum ele&tionem, & munus declarat, §. 27. Regulasq; à Nouitijs obseruandas ponit, §. 28. & seqq. Conuersorum institutionem, & educationem tradit, §. 33. Recipiendorum ad Professionem qualitates describit, §. 34. Librum registri Professionum teneri præcipit, §. 35. Ac filiationum, §. 36. Numerum Religiosorum cuique Conuentui præscribi iubet, §. 37. Professoribusq; de nouo, loca particularia assignari mandat, §. 38. contrauenientibus pœnas imponit, §. fin.

Schol.

Schol. primum.

Quæro. Nouitij donatio ante susceptum habitum, in sæculo scilicet, intuitu ingressus in Religionem, esset ne valida?

RESP. Dubitauit Nauarr.consil.81. de Regular. libro 3. in Nouis impressis anno 1610. ac Molina de Instit. & iur. disputat.139. Sed dubium sublatum est à Sacra Cardinalium Congregatione, super Consultationibus Regularium, quæ censuit non valere, vt aduertit Apostillator ad d.consil. Nauar. in fine, & Menoch. de Arbitr.Iudic. casu 436. num.3. in addit.

Scholium secundum.

Quæro. Nouitius posset ne renunciare anno probationis, & eo non completo, professionem emittere?

RESPON. Non, quia resistit Concil.Trident. quo cauetur minori tempore ad professionem non admitti, vt in sess.25. de Regular. capit.15. Quod cum introductum sit ad fauorem publicum, ei renunciari non potest Nauar. cons.17. lib.3. de Regular.n.1. in impressis de anno 1610. & latius deducit Roderic. de Quæstion. Regular. tom.2. quæst.15. art.7.

LXXXIV.

Edita Anno 1602. SAnctissimus D.N.Clemens, & infra, pagina 133. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum Fratres Minores Sancti Francisci de Strictiori Obseruantia sint obligati ad obseruantiam Regulæ eiusdem Sancti Francisci, iuxta declarationem Nicolai III. & Clementis V. ortum est dubium, An possint in eorum Ecclesijs habere organa, paramenta, & vasa Ecclesiastica pretiosa, ac excessiua, §.1. Hic ideò Pontif. declarat, ea posse retinere in locis, vbi ea reperiunt, vel repetient, & illis vti donec durabunt, sed vbi non sunt, de nouo acquirere non posse, §.2. & 3.

Schol. primum.

Quæro. Vbi leguntur Constitutiones Nicolai III. & Clementis V. enunciatæ in §.1. & à Genitore tuo prætermissæ?

RESPON. Prima est in cap.3. de Verborum significat. in 6. Secunda verò in clement.1. eodem titulo; Et ideò prætermissæ cum Genitoris mei intentio fuerit extra volumina iuris vagantes constitutiones, in vnum colligere, vt in sua ad Paulum V. Epistola Operis dedicatoria significauit.

Schol. secundum.

Quæro. Pretiositas ergo Vasorum, & Ecclesiasticorum Paramentorum est etiam interdicta Fratribus Regularis Obseruantiæ, vigore Regulæ, & prædictarum Constitutionum?

RESP. Hoc verissimum apparet, sed illi Fratres fuerunt posteà in hoc à Pontf. successoribus dispensati, vt benè explicat Corduba in Compendio Priuileg. Fratrum Minorum, in §. Ornamenta, & Roderic. de Quæstion. Regular. tom.2. quæst.15. art.1. & 2.

LXXXV.

Edita Anno 1602. DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 133. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium de mandato huius Pont. decreuit, quòd congregatio Fratrum Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis Captiuorum, & Congregatio Fratrum Beatæ MARIAE de Mercede, Redemptionis Captiuorum, quæ statis anni temporibus absolutionem, & Indulgentiarum communicationem facere solebant, non faciant de cætero dictam absolutionem, sed communicationem Confratribus, & Consororibus tantum ipsarum Congregationum, contritis tamen, confessis, & Sacra Communione refectis, §.1. vsque ad 4. Idemque statuit de Communicatione bonorum operum, §.4. Cuius bonorum operum communicationis formam præscribit, §.5. Prohibet publicè Populum inuitari ad eiusmodi communicationes per affixionem cedularum, §.6. Formam communicationis Indulgentiarum præscribit, §.7. Hæc omnia Pontif. iste postea comprobat, §.8. Irritum decernens quicquid in contrarium fieri contigerit, §.9. contrarijs derogat, §.10. Transumptisque huius Constit. credi iubet, §.11.

Schol. primum.

Quæro. Communicationem bonorum operum, de quibus in §.5. nonne Prælati Congregationum prædictarum potuissent earum deuotis dare, etiam circumscripta hac Bulla?

RESP. Potuissent, vt pluribus post alios probat Nauar. de Orat. in Miscell.26. num.28.

Schol. secundum.

Quæro. Bona opera alicuius singularis personæ dictarum Congregationum potuissent illo nolente alteri applicare?

RESP. Non, nisi ex aliqua magna causa, & tunc solum pro ea parte, quia ille non indigeret, vel alijs non esset iam applicata, ita tradit Nauar. ibidem numero 28.

LXXXVI.

CVm in Ecclesia Catholica, & infra, pagina 134. Bullarij. Edita Anno 1602.

COMPENDIVM.

Orandi varietatem in Ecclesia Dei vitandam asserit in proem. Pius ideò Quintus, Breuiarium emendauit, §.1. Sed immutatum videtur in multis, §.2. Hic Pontif. iteratò examinari, & emendari, ac Romæ in Typographia Vaticana imprimi fecit, §.3. Alibi absque Inquisitorum, & eis non extantibus Ordinariorum licentia imprimi vetat, §.4. Typographis alibi, vel aliter imprimentibus, & Bibliopolis vendentibus pœnas imponit, §.5. Licentiarum autem prædictarum, si concedentur formam præscribit, §.6. Vsum Breuiariorum iam impressorum permittit, §.7. Contrarijsque derogat, §.8. Et transumptis huius Constitut. credi mandat, §.9.

Schol. primum.

Quæro. Monachi, qui non tenentur nouo Breuiario à Pio Quinto edito vti, in casibus ibi exceptis, possent, si vellent, eo vti extra Chorum?

RESP. Proaffirmatiua, & negatiua, aliquid scribit Nauar. Sed negatiuam magis probare videtur in conf.16. de Celebrat. Missar. tom.1. lib.3. secundum impressionem de anno 1610. & sequitur Graff. lib.2. par.1. suarum decis. capit.51. num.11.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si vti vellent in Choro?

RESP. Possent, si accederet consensus Abbatis, & Capituli, & non aliàs, vt cauetur in ipsa Bulla Pij V. & tradit Nauar. vbi supra, & in consil.5. num.2.

Sanctis.

LXXXVII.

Edita Anno 1602.

SAnctissimus D.N. Clemens, & infra, pagina 135. Bullarij.

COMPENDIVM.

Damnat, & prohibet propositionem, qua dicitur licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere, §.1. Prohibet hanc propositionem de cætero doceri, defendi, imprimi, aut ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & alijs pœnis arbitrio infligendis, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quid si quis sit inter Infideles, vel in carceribus secretis?

RESP. Adhuc intrat prohibitio, quia confessio est actus personalis, idest, fienda personaliter Sacerdoti, præcepit enim Dominus mundandis, vt irent, & ostenderent ora Sacerdotibus. c. Quem pœnitet 88. de Pœnit. dist. 1. vbi glos. allegat tex. concord. Sufficit autem contritio carcerato, vel apud Infideles existenti, secundum veriorem, & magis communem opinionem, de qua testatur Graff. libro 1. suasum Decisionum, parte prima cap. 24. num. 31. & seq. & in Append. lib. 1. cap. 5. num. 3. vbi vrgentes admodum rationes adducit.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si non per internuncium, sed per interpretem?

RESP. Valet confessio, si fiat ex causa, vt si Confessarius non habet notam linguam confitentis, vel nutus alicuius muti, aut infirmi balbutientis: iste enim id agit cum Sacerdote, qui mediante interprete potest confitentem diligenter examinare, quod non est, si fiat confessio per literas, vel internuncium, vt ex D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4. explicat Graff. vbi supra, post Scribb. in dicto capit. Quem pœnitet.

LXXXVIII.

Edita Anno 1602.

QVæ ad pietatis, & caritatis opera, & infra, pagina 135. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in sua Constitut. 94. de qua supra, pagina 169. tom. 2. deposita pecuniarum supra scuta quinq; quæ lite pendente in Vrbe fieri contingeret, penes Montē Pietatis Vrbis à Iudicibus fieri mandari decreuit, §.1. Hic Pont. confirmat, §.2. Addit, omnem pecuniam redigēdam ex subhastatione bonorum per Cursores, seu Mandatarios fienda, necnon pretium bonorum, vigore Constitutionis ab eodem Gregorio XIII. super iure congrui editæ vendendorum, ac omnem pecuniam de mandato Papæ deponendam, apud eundem Montem deponi debere, §.3. Et nō apud Mercatores, §.4. Cursores, & Mandatarios pretium, quod superest de rebus subhastatis apud hunc Montē deponere iubet, §.5. Notariosque dicta deposita recipere prohibet, §.6. Sequestra quæ, & quando Officiales Montis acceptare possint, declarat, §.7. Protectori, & Iudici Montis cognitionem eius, Officialiumque causarum, tàm ciuiliū, quàm criminalium, & mixtarum, & huius Bullæ executionem committit, §.8. & seqq. Solutionem Montis præuio Iudicis decreto tutam esse decernit, §.14. Clausulas præseruatiuas, & derogatorias ponit, §.15. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Hodie dubitatum vidi, an Pauperior, qui plus mutuo accepit à Monte Pietatis, plus compellatur soluere, quàm pauper, qui minus accepit, quid respondendum?

RESP. Quæstionem hanc doctè quidem diffinit. Salon. in 2. Sancti Thomæ, quæst. 88. art. 2. de Monte Pietatis num. 15. ostendens, quòd sicut iustum est, vt qui plus indiget plus recipiat, ita è conuerso plus contribuat pro expensis Montis.

Schol. secundum.

Quæro. Si ageretur à Fisco ad pœnam fractæ pacis, causa dicitur criminalis, vel ciuilis, de qua in §.8. & seqq.?

RESP. Ciuilis, si agitur ad pœnam promissam in contractu pacis, Bart. in l. 1. de Sepulch. Vtol. Rota decis. 226. in Antiq. secundum impressionem antiquiorem. Bertazzol. consl. 280. lib. 2. num. 6.

LXXXIX.

Edita Anno 1602.

APostolicæ Sedis auctoritati maximè conuenit, & infra, pagina 138. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Caroli Molinæi scripta, & Commentaria, doctrinam perniciosam, & Catholicæ Fidei contrariam continent, ideòque in Indice Librorum prohibitorum expresse interdicta, Et nihilominus nonnulli ex varijs sub prætextibus vtuntur, & vtendi licentias impetrant, Ideò illa hic Pont. iterum damnat, illorumq; Lectionem, & retentionē cuiuscumque status personis, sub pœnis in dicto Indice contentis, ac etiam suspicionis hęresis omnino interdicit, §.5. Quascumque licentias etiam à Cardinalibus super dicto Indice deputatis, ac supremis Inquisitoribus concessas reuocat, §.4. Et à solo Pontifice subscriptas valere declarat, §.5. Libros tamen Iuris Canonici, & Authorum Catholicorum habentes adnotationes, siue Apostillas huius Caroli deletis illis, & emendatis, iuxta censuram nuper editam retineri indulget, §.6. Et supradicta opera Caroli prohibita Ordinarijs, vel Inquisitoribus consignari mandat, atque comburi, §.7. Et huius Bullæ publicationem Romæ factā, omnes artare decernit, §.8. Illiusque transumpta in partibus ab Ordinarijs publicari, & obseruantiam curari iubet, §.8. Quibuscunque non obstantibus. §.9.

Schol. primum.

Quæro. Si quis compertus esset habere eiusmodi Libros, num se defendere posset, si diceret, retinuisse ad confutandum?

RESP. Non, quia eorum Lectio perniciosa, ac periculosa est, ita post alios tenet Pegna in Directorio Inquisitor. par. 2. Commentat. 3. versic. Tametsi.

Schol. secundum.

Quæro. Si iste Carolus viueret, & alia Commentaria in futurum componeret, censerentur ne etiam illa damnata, absque noua prohibitione?

RESP. Ita sanè, quia semel damnato authore omnia ab eo scripta damnata censerentur, vt tradit idem Pegna, vbi supra, versic. Monendi tamen sunt.

XC.

Edita Anno 1602.

QVę ad Religiosorum antiquum institutum, & infra, pag. 139. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decreuit, quòd Congregatio Canonicorum Sæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum, vt tàm domi, quàm alibi, omni tempore Religiosi ipsius Congregationis deferant togam coloris cærulei, prout deferebat B. Laurentius Iustinianus eiusdem Congregationis institutor, & modò supplicat Papæ pro dicti decreti confirmatione, §.1. Qui confirmat, perpetuòque, & inuiolatè præcipit obseruari, §.2. Quibuscunque non obstantibus, §.3.

Schol.

Schol. primum.

Quæro. Vidi hos Canonicos Missam, & Officium de hoc B. Laurentio in eius Festo, & Octaua celebrare, dic amabò, qua id faciunt authoritate?

RESP. Indulto huiusmet Clementis, cuius hic subsequitur tenor.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOstræ authoritatis partes in his rebus libenter interponimus, quæ ad Religiosorum pietatem, & deuotionem, quam erga sua Religionis fundatores, Viros Beatos gerunt, magis declarandam pertinent, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Rectorum generalium, & Vniuersarum Congregationum S. Georgij in Alga, & Sancti Ioannis Euangelistæ Regni Portugallici, quæ sub eisdem habitu, & Regula sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantur, nobis nuper expositum fuit, quòd cum pro eo, quem erga Beatum Laurentium Iustinianum primum Patriarcham Venetiarum, earumdem Congregationum, Fundatorem, gerunt deuotionis affectu, Officium de eodem Beato Laurentio, quod ex Apostolicæ Sedis indulto de Communi Pontificis Confessoris, in eisdem Congregationibus recitatur, cum Lectionibus proprijs, & Missam, vt infra deinceps recitare, & celebrare posse desiderent, Lectiones huiusmodi cum Antiphonis, ac Orationibus ad præscriptum Romani Breuiarij Festo ipsius Beati Laurentij accommodatis compilari curarunt, ac ad Nos, & Apostolicam Sedem examinandis, & approbandis humiliter remiserunt; Nobisq; humiliter supplicari fecerunt, vt eorum pio desiderio in præmissis de benignitate Apostolica annuere dignaremur. Nos igitur Rectorum, & Congregationum prædictarum pijs votis, quantum cum Domino possumus satisfacere cupientes, Lectiones, Antiphonas, & Preces, ac Missam prædictas dilecto filio nostro Cæsari tit. Sanctorum Nerei, & Acchilei Presbytero Cardinali Baronio nuncupato, examinandas, & reformandas commisimus, qui Cæsar Cardinalis retulit diligenter se illas examinaße, vidiße, cognouiße, atque probaße. Quare prædictos Rectores, & Congregationes, eorumque Canonicos, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, &c. supplicationibus eorum nomine super hoc, vt præfertur, humiliter porrectis inclinati; Lectiones, Antiphonas, Preces, & Missam huiusmodi, vt præfertur, à dicto Cæsare Cardinali visas, cognitas, examinatas, atque probatas, ac inferius insertas Apostolica auctoritate, præsentium tenore perpetuò confirmamus, & approbamus, ac eisdem Rectoribus, & Canonicis vniuersis, vt tam publicè in Choro, quàm priuatim illas in Officio, quod in Festo, & Octaua Beati Laurentij ab eis recitatur, pariter respectiuè recitare, & illas recitando obligatione recitationis diuini Officij satisfacere possint auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Non obstante quòd Festus dies Beati Laurentij prædicti non sit in Kalendario Romano descriptus, ac noua Breuiarij editione, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque.

Datum Ferrariæ die 27 Septembris 1598. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Schol. secundum.

Quæro. Sed cur etiam qualibet Quinta Feria cuiuslibet Hebdomadæ alio Festo non impedita, idem recitant Officium?

RESP. Alio suffulti fel. rec. Pauli V. indulto, cuius hic habes exemplar?

PAVLVS PAPA QVINTVS,

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm sicut accepimus felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædecessor noster aliàs dilectis filijs Canonicis Congregationis Sancti Georgij in Alga Venetiarum indulserit, vt in eorum Ecclesijs Festum Beati Laurentij Iustiniani, dictæ Congregationis Fundatoris solemniter celebrare, ac Officium, & Missam cum Lectionibus proprijs de eodem Beato Laurentio recitare licitè possint, prout in eisdem Prædecessoris literis in forma Breuis desuper expeditis plenius continetur. Cumq; postea ijdem Canonici in Capitulo generali eiusdem Congregationis ordinauerint, vt ab eiusdem Congregationis Canonicis, & Religiosis Officium prædictum de Beato Laurentio Feria v. cuiuscumque Hebdomadæ alio Festo non impedita recitaretur. Nunc vt officium ipsum dicta Feria v. maiori cum veneratione recitetur, cupiunt huiusmodi ordinationem per nos comprobari, ac aliquam illis, ac alijs interessentibus, indulgentiam benignè concedi. Quare Nobis supplicatum fuit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorum pijs votis, quantùm cum Domino possumus, annuere cupientes, ac ipsos Canonicos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum quemlibet, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, vel pænis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis (si quibus quomodolibet innodati existunt) ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon literarum Clementis Prædecessoris prædictarum tenorem præsentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati ordinationem prædictam de recitando Officio de Beato Laurentio Feria v cuiuscumque Hebdomadæ alio Festo non impedita confirmantes, & approbantes, omnibus, & singulis eiusdem Congregationis Canonicis, qui Officium huiusmodi, siuè in Choro, siuè extra Chorum deuotè recitauerint, vt præfertur, necnon alijs vtriusque sexus Christi fidelibus Officio huiusmodi, seu Missæ de Beato Laurentio deuotè interessentibus, tres annos de iniunctis eis, siuè aliàs quomodolibet debitis pænitentijs in forma Ecclesiæ consueta, qualibet vice id egerint, relaxamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, & præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur vbiq;, quæ ipsis præsentibus haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo Piscatoris die 29. Iulij 1605. Pontificatus nostri Anno Primo.

XCI.

Edita Anno 1602.

PRo nostri pastoralis muneris debito,& infra pagina 139.Bullarij.

COMPENDIVM.

Prouincialem,& Fratres Tertij Ordinis S.Francisci Prouinciæ Dalmatiæ,& Iustinopolitan.Vicario,& Visitatoribus Generalibus d. Tertij Ordinis Italiæ subijcit, illosq; Fratribus Italiæ vnit,§.1.2.& 3. Et istorum priuilegia illis communicat,§.4. Vicario, & Visitatori prædictis, vt Prouincialem,& Fratres d.Prouinciç Dalmatiæ,& Iustinopolitan.benignè recipiant, adhortatur, §.5. Eosq; è conuerso debitam,deuotamq; reuerentiam istis exhibeant,§.5.Quibuscumque non obstantibus, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Visitator num poterit alteri Visitationem delegare?

RESP. Si Visitator est electus cum plenitudine potestatis, poterit, nisi sit restricta electio ad personaliter visitandum Roderic. post Felyn. quem allegat de Quæstion, Regular.tom.2.quæst.4.art.3.

Schol. secundum.

Quæro. Visitator habet ne summariam iurisdictionem?

RESP. Habet, procedit etenim absque figura iudicij, debet tamen audire partem, eiusque legitimam defensionem, clem. Pastoralis. in fin. de Re iud. & Feder. de Sen, cons.55. num.1.& 2.

XCII.

Edita Anno 1602.

EX iniuncto nobis Apostolici muneris debito, & infra pag.140. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia aliqui in dubium reuocarunt, an Fratres Reformati Ordinis Minorum S. Francisci de Strictiori obseruantia sint veri obseruantes regulæ S. Francisci, eo quòd sub obedientia Custodum iuxta huius, aliorumque Pont. Constitutionum formam viuunt, & eorum Superiores Custodes, & non Ministros appellent, ideoq; non satisfaciunt regulæ S.Francisci, iuxta cuius literam sub obedientia Ministrorum viuere debent,§.1.Declarat hic Pont.Custodes à Ministris solo nomine differre, & propterea eos veram S.Francisci,& non nouam regulam obseruare, §. 2. Priuilegijs,& præeminentijs Fratrum de Obseruantia gaudere declarat,§.3. Et ita,& non aliter seruari præcipit,§.4. Executoresq; deputat.§.5.Contraria tollit,§.6.Transumptis quoque credi mandat,§.7.

Schol. primum.

Quæro. Quæ est huius Pontificis constitutio, de qua in §.1.?

RESP. Est constitutio 45.de qua supra pag.14.

Schol. secundum.

Quæro. Custodum, & Ministrorum nomina nonne synonima ex ipsamet B.Francisci regula dignoscuntur?

RESP. Synonima sic dignosci apertè demonstrat Roderic.de Quæstion.Regul.q.70.art.1.

XCIII.

Edita Anno 1602.

APostolici muneris, & infra, pag. 141. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio pro regimine Monasterij S. Catherinæ de Rosa dudum in Vrbe pro adiuuandis, & piè educandis pauperibus Puellis in periculo amittendæ pudicitiæ constitutis, erecta, donec ad nubilem ætatem perueniæ, congrua constituta dote, matrimonio collocentur, multoties ob eius paupertatem, rerum angustia præmitur, supplicat Papæ pro oportuna desuper prouisione, §.1. Qui ideo statuit, vt Congregatio ad dictis puellis in totum, vel in parte alimenta subministranda parentes cogant, vel consanguineos, ad quos earum cura,& alimentatio pertineret, vel bona puellarum existerent, iuxta qualitatem personarum, §.2. Puellasq; in d.Monasterio degentes nullo pacto absque Prçlati Congregationis consensu, præterquam in Monasterij vtilitatem, contrahere posse vetat, §. 3. Easq; à Congregatione dotatas sine filijs legitimis, & naturalibus decedentes, de eorum bonis etiam ad fauorem aliorum locorum piorum, nisi dicto Monasterio vltra dotem, quartam partem bonorum suorum relinquant, disponere prohibet,§.4. Clausulas præseruatiuas huius Bullæ subdit, §.5. Contrariorumque derogatorias,§.6.

Schol. primum.

Quæro. Tanto ergo studio Virginitas,& pudicitia procuranda est, & æstimanda?

RESP. Meritò quidem, cum Virginitas Dei Templum sit, & qui eam habet, fortitudinem habere dicitur, cap. Ita ne aliqui.3.caus.32.quæst.5 & tradit August.de Ciuit.Dei, lib.2.c.26.Ac Ciprian.in lib.de Virginitate, inquit, *Virginitas est Soror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, possessio omnium bonorum, quæ tenet in Cælo aureolam & in Terra principatum*. Sed,& alia multa de Virginitate scitu digna scribit Chassan.Cathalog.Glor.Mundi p.3.consid.39.

Schol. secundum.

Quæro. Qui sunt illi consanguinei, ad quos puellarum alimentatio, de qua in §. 2. pertinet?

RESP. Longo sermone id explican.foret, perlege ergo post alios Surd.de Aliment.tit.1.per totum.

CXIV.

Edita Anno 1602.

SAnctæ R. E. dignitati, & infra, pagina 142. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Vniuersitatem Studij generalis antiquitus in Ciuitate Ferrariæ fuisse institutam, §. 1. Cui dat ipse facultatem eligendi Rectores.§.2.& seq. Qui certas causas Scholarium cognoscat,§ 4. Et vnà cum alijs Officialibus d.Vniuersitatis Statuta reformet, §.5. Scholaribus licentiam gestandi arma concedit, § 9. Lectoresq; & Scholares eximit à Gabellis,& impositionibus §.6. Priuilegia Studij Bononiensis concedit, §.7. Collegijs Doctorum, & d. Vniuersitati, priuilegia Doctorum, & Vniuersitatis Studij Bononiensis elargitur, §. 8. Executores deputat pro executione prædictorum, Quibuscumque non obstantibus, §.9. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Gloriosum ne est huic Pontifici huiusce Generalis Studij rationem habere, & illud priuilegijs decorare?

RESP. Sic esse multis probat authoritatibus Chassan. in suo Cathalog. Glor. Mundi. p.5. consid. 21. vbi in fine subdit, quòd Iudocus Clicthoueus iure inuehit contra Lutherum Studia,& Gymnasia reprobantem.

Schol. secundum.

Quæro. Si hoc Studium specialia generalis Studij non haberet, num Generale dici posset?

RESP. Posset, si generale reputatum fuisset à tali tempore, cuius initij memoria non extaret in contrarium, vt tenet glos.in Clem.2.§. Nos autem, in verbo, generalibus, & ibid. Zabar.nu.15. de Sepultur. Et toletantia Principis tàm longo tempore vim habet concessionis, & reuocationis illius prohibitionis, quæ habetur in procem. Digestorum.§.Hæc autem tria, vt innuit glos.iam cit.

Decet

XCV.

Edita Anno 1602. & 1604.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pag. 143. *Item*. Ad Romanum Pontificem, & infra pagina ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat de anno 1600. Visitatores Apostolicos die 27. Aprilis decreuisse, quòd Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo manutenerentur in quasi possessione præcedendi Fratribus Ordinis D. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, §. 1. & 2. Et Rotam Romanam de eodem Anno, die 10. Martij, etiam in petitorio, idem statuisse ad fauorem Carmelitarum, d. §. 2. Et hoc idem hic Pont. modò statuit, Fratresque de Mercede ad Processiones publicas, & funeralia accedere debere de voto Congregationis Sacrorum Rituum, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 4. Executores deputat, §. 5. Obstantiaq; remouet, §. 6. Et hanc diffinitionem vbique locorum seruan. esse declarat in constit. subseq. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quæ potuit esse ratio, ob quam præcedentia Carmelitis data fuerit?

RESP. Quia Carmelitarum Ordo ab Honorio III. anno 1226. in eius constit. 8. de qua supra pag. 13. tom. 1. Fratrum verò de Mercede anno 1235. à Greg. IX. in eius constit. 9. de qua supra pag. 15. tom. 1. approbatus fuit. Et tempus approbationis Sedis Apostolicæ attenditur in materia præcedentiæ inter Regolares, vt aliàs à me accepisti. Et ita habetur in decis. Rotæ, de qua in §. 2. fit mentio, quæ firmata fuit coram Litta intitulata Oriolen. Præcedentiæ,

Schol. secundum.

Quæro. Decretum Congregationis Rituum, de quo hic in fine, quando emanauit,

RESP. Die 21. Augusti hoc eodem anno, quo Pont. iste postea prædictam edixit secundam constitutionem. Eiusque Decreti tenor hic subsequitur, videlicet: *In causa præcedentiæ inter fratres Carmelitanos, & Fratres Beatæ Mariæ de Mercede, audita relatione Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardin. de Monte, qui prius fecerat etiam verbum cum Sanctiss. D. N. Sacra Rituum Congregatio censuit, in omnibus locis Fratres Carmelitanos debere præcedere Fratribus de Mercede, iuxta dispositionem literarum Apostolicarum in forma Breuis expeditarum sub die 15. Nouembris 1602. & mentem eiusdem Sanctiss. D. N. Papa, & ita declarauit hac die 21. Augusti 1604.*

Alexander Card. Florentinus.

CXVI.

Edita Anno 1604.

EXpositum nobis nuper fuit, & infra pagina, 144. Bullarij.

COMPENDIVM.

Rectores Ecclesiarum Parochialium in Indijs eleemosynas duplo maiores ab his, qui in Ecclesijs Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia, quam qui in Parochialibus sepeliuntur, exigere cœperunt in præiudicium dicti Ordinis, qui propterea Papæ supplicarunt pro oportuna prouisione, §. 1. & 2. Qui ideò prohibet huiusmodi exactionem Quibuscumque non obstantibus, §. 3. & 4. Fidemque transumptis huius decreti dari præcipit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Quæ erit igitur hæc eleemosyna?

RESP. Ea, quam constituit Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. & Pius V. in constitut. 41. de qua supra pag. 46. tom. 2. Ita namque statuit Paul. V. infra 10 sua constitut. 47. §. 5. quæ post hanc editam Bullam ad Genitoris mei manus peruenit, ideoque per eum de mote hic non potuit indicari.

Schol. secundum.

Quæro. De quibus Indijs Cõstitutio ista intelligi debet?

RESP. De Occidentalibus, & Orientalibus, quia sic censuit Paul. V. in eadem Bulla 47.

XCVII.

DOminici gregis diuina prouidentia, & infra, pagina. 144. Bullarij. *Edita* Anno 1603.

COMPENDIVM.

Innouat Constitutionem 4. Pauli IIII. publicatam Romæ anno 1556. de qua supra pag. 138. tom. 1. Et neminem ex his, qui illi contrauenerunt, vllo ignorantiæ prætextu excusari, sed tamquàm relapsos in hæresim haberi, & propterea Curiæ sæculari tradi debere decernit, quibuscunque nõ obstantibus, §. 1. & seqq. Et ne de cætero eiusmodi ignorantia valeat allegari, in Vrbe eamdem constitutionem publicari, & deinde omnes arctare, ac si personaliter eis esset intimata, §. 3. Et potiori pro cautela præcipit omnibus Inquisitoribus, vt in earum Ciuitatibus, vbi degunt, & vbi illi non sunt, locorum Ordinarij d. publicationem curent, §. 6. Et huius Bullæ exemplis pleoè credatur, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Erat ergo dubium, an Constitutio Pauli IV. de qua hic in principio publicata Romæ omnes alios vbique extra Prouinciam liget, vbi ea publicata non fuit?

RESP. Controuersa nimis videtur hæc apud DD. quæstio. Siquidem negatiuam communem esse scripsit Alexan. cons. 51. lib. 7. sub num. 1. Anchar. Regiens. quæst. 59. lib. 2. num. 3. Ofasc. decis. Pedem. 141. num. 2. quam veriorem, & magis communem, & veram appellat. Bursat. cons. 200. lib. 2. num. 105. & lib. 2. cons. 155. num. 3. Affirmatiuam autem magis communem affirmat Nauar. cons. 1. de Constit. nu. 19. & Parisius tract. de Resigoat. benefic. lib. 11. quæst. 9. num. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Quam ergo teneres opinionem?

RESP. In terminis dictæ Bullæ Pauli IIII. quæ erat in antiquiori Genitoris mei Bullario iam diu vbique perulgato, affirmatiuæ sententiæ adhæreo, quam opinionem seruan. dixit Imola in cap. 2. de Constit. num. 7. & ibid. Mandos. in repet. num. 79. Franc. in reg. vltim. de Regul. iuris, in 6. num. 13. & Nauar. in loco citato. Sed in alia Bulla singulari in distantibus Prouincijs communiter ignota contrarium dicerem, præsertim si ageretur de alia pœna, quàm nullitatis actus, prout aliàs tenuit Genitor meus tempore Farinacij Procuratoris Fiscalis in vna Perusina Gratiæ, vt ille meminit, sed non aperto ore loquitur in suo cons. 149. num. 3. & 4. vbi recenset DD. ferè omnes quos Genitor meus contra eum allegabat, excepto Molin. de Contract. disp. 395. sub num. 4.

XCVIII.

CVm sicut accepimus, & infra pagina. 145. Bullarij. *Edita* Anno 1603.

COMPENDIVM.

Accepto quòd in locis Perualibus existentibus in Indijs Occidentalib. sub innocatione Sanctissimi nominis IESV, Confraternitates nonnullæ canonicè fuerunt institutæ, & instituetur, ad hoc, vt maiora in dies suscipiant incrementa, ad supplicationem Episcoporum Regni Perù, dictam Confraternitatem intrantibus, aut in die Circumcisionis Domini illius Altaria visitantibus plenariam Indulgentiam perpetuò elargitur, §. 1. & 2. Eisdem alia pia opera exercentibus, alias Indulgentias concedit, §. 3. Non Confratribus verò alias itidem ad viginti annos relaxat, §. 5. & seq.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid Confratres volentes ingredi Confraternitatem debeant personaliter adire loca, vbi sunt Fratres ad scribendum deputati?

R E S P. Dubitaui de hoc Nauarr. dum in Confraternitate Rosarij se scribi fecit, sed tandem id licere affirmat, eo quod nulla lege diuina, naturali, positiua, aut alia lege prohibitum est in Miscellan. de Oration. sub num. 23. vers. Dubitaui secundo.

Schol. secundum.

Quæro. Si Confraternitas statueret, ne quis eam intret, nisi certum quid sibi persoluat, valeret ne?

R E S P. Valeret, si in pios vsus cedturum esset, secus si in profanos, vt subdit Nauarr. vbi supra vers. Dubitaui tertio, & conuenit dispofit. Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 14.

XCIX.

Edita Anno 1603.

QVoniam ad institutum, & infra, pag. 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordinarijs locorum prohibet licentiam concedere cuicumque etiam Mendicantium Ordini, nouos Conuentus erigere, nisi vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa cognita sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse. §. 1. Appellationem etiam suspensiuam ab eorum sententijs ad Sedem Apostolicam concedit. §. 2.

Schol. primum.

Quæstio. An ista prohibitio intelligatur etiam de mutatione Conuentus, de vno loco ad aliud in eadem Ciuitate?

R E S P. Negatiuè respondet Roder. de Quæst. Regular. quæst. 49. art. 9. vbi sic refert tenuisse Gemin. & Baptistam de Sauis. Ab eo tamen dissentire cogor, quia Bonifac. VIII. in cap. 1. de Excess. Prælator. prohibet etiam eiusmodi mutationem, militatque eadem ratio, quæ fuit motiua in hac Constitutione, nempè detrimenti, quod alijs Regularibus eiusmodi mutatio esse potest, cum notum sit frequentiores eleemosynas impartiri Religiosis, ad quos ob loci amænitatem, aut aeris salubritatem, vel aliam, Populi confluit multitudo. Quod Gemin. sentit in d. cap. 1. num. 3. & Ioan. Andr. ibidem post princip.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si aliquis Ordo dimisit aliquem Conuentum, idest eius habitationem, an possit ad illum absque licentia redire?

R E S P. Redire posse, scribit Roder. vbi supra, ea ratione ductus, quòd non possit dici Conuentus nouiter erectus. Sed ex identitate rationis contrarium verius puto, quia Conuentus hic non intelligitur, quoad materiam, vel fabricam, sed quoad Religiosorum in vnum cohabitationem, quæ proculdubio de nouo rediens, potest alijs Regularibus esse detrimento, in quo facit vim ista Constitutio.

C.

Edita Anno 1603.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hieronymus Matthæius S. R. E. Cardinalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia Protector, decreuit, ne quis illorum etiam Prælatus quicquam audeat amouere, occultare, auferre, aut secum deferre de Monasterijs concedendis Fratribus strictioris Obseruantiæ, aut eis ad id consilium, aut auxilium præstantibus sub pœna priuationis Officiorum, & dignitatum Ordinis, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, §. 1. & 2. Omnibusque Prouinciarum Ministris, & Commissarijs præcepit, vt eiusmodi Decretum publicari faciant, §. 2. Hic modò Pont. confirmat, omnesq; defectus supplet, & sub dictis pœnis obseruari, & in singulis Capitulis Prouincialibus publicari mandat, §. 3. Contraria aufert, §. 4. Et Transumptis huius Constit. credi iubet, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæc anathematizatio ligabit ne rem minimam ex dictis Conuentibus auferentem?

R E S P. Videtur non ligare, nisi illa modica res sit maximum præiudicium allatura, vel animum alias quoque maioris valoris res furandi habuisset; his etenim casibus notabiliter peccat, & anathemate ligatur Syluest. in sua Summa, in verbo, furtum, quæst. 42. num. 4. & 5. Molina de Contract. quæst. 4. in fine. Couar. Var. resolut. lib. 1. cap. 3. num. 12. Nauarr. in Manual. cap. 17. num. 4. & 5.

Schol. secundum.

Quæro. Modica res, quæ diceretur?

R E S P. Arbitrio boni Viri, qui personarum, & rerum qualitate pensata, id poterit arbitrari, glos. in l. Sed, etsi susceperit 52. §. 1. in verbo, modica, ff. de Iud. Syluestr. & Couar. vbi supra, Franc. Marc. decis. 6. par. 2. num. 4. Graff. lib. 2. Suar. decis. par. 1. cap. 93. num. 27.

CI.

Edita Anno 1603.

ROmanum Pontificem decet, & infra, pagina 147. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli temerariè prætendere audebant Fratres Reformatos Discalceatos Ordinis B. M A R I Æ de Monte Carmelo non esse veros Carmelitas, neque vnum ex quattuor Ordinibus Mendicantibus, Hic ideo Pont. contrarium determinat, §. 1. Et omnibus priuilegijs Ordinis gaudere decernit, §. 2. Contradicere præsumentes anathematis vinculo innodat d. §. 2. Quamcumque eius præeminentiam, ac prærogatiuam nullo modo, decursu temporis, aut alio præscriptionis modo facto perdere statuit, §. 3. Ad processiones generales compelli non posse diffinit, §. 4. Et ita, & non aliàs iudicari mandat, §. 5. Executoresque deputat, §. 6. Contraria remouet, §. 7. Transumptis etiam credi iubet, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Præscriptio, de qua in §. 3. si sit immemorabilis præiudicabit ne his Carmelitis?

R E S P. Non, quia reprobatio præscriptionis est fundata in causa, quæ perpetuò durat, nempè, vt Carmelitæ possint sine præiudicio præeminentiæ sui Ordinis, humilitatis esse æmulatores, vt legitur in textu d. §. sic tradit post alios Gabr. de Præscript. conclus. 5. nu. 32. vbi videas de materia.

Schol. secundum.

Quæro. Prerogatiua, seu præcedentia huic Ordini num debetur, respectu aliorum Ordinum, attento tempore institutionis regulæ, vel tempore approbationis à Sede Apostolica obtentæ?

R E S P. Approbationis tempus attendendum esse probat Collegium Bononiæ in cons. 1. post Consilia Zabarel. num. 20. Collegium Paduanum cons. 2. num. 71. & Collegium Ferrariæ cons. 356. num. 13.

CII.

Edita Anno 1603.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pag. 148. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IIII. Hospitale, & Militiam S. Lazari sub Beati Petri, Sedisq; Apost. protectione in sua const. 95. de qua supra pag. 28. tom. 2. reduxit, §. 1. Eorumque priuilegia ibidem confirmauit, §. 2. Indultum retinen. pensionem scutorum 500. singulis eorum concessit, §. 3. Pius V. in sua

sua constit. 28. de qua supra pag. 41. tom. 2. reformauit, §. 4. Et in alia eius constit. 78. de qua supra pag. 57. tom. 5. generaliter reuocauit, §. 5. Gregorius XIII. Militiam S. Mauritij in eius consit. 6. de qua supra pagina 80. tom. 2. in loco à Duce Sabaudiæ deputan. instituit, & illum M. Magistrum illius creauit, §. 6. Eique dictam Militiam, & Hospitale S. Lazari vniuit, §. 7. Et quædam loca in d. vnione reseruata suppressit, & dispositioni Sedis Apostolicæ reseruauit, §. 8. Ex hac vnione magnum euenit incrementum, maiusque speratur §. 9. Hic modò Pont. omnia priuilegia approbat saluis modificationibus infra dicendis, & alijs contentis in d. constit. Pij V. §. 10. Eiusdem Pij reuocationes, & Gregorij XIII. suppressione de locis in Hispania existen. irritat, & cum vacauerit dictæ Militiæ SS. Mauritij, & Lazari restituit, §. 11. Vnionem supradictã approbat, §. 12. Indultum retinendi pensiones ad ducatos 400. reducit, §. 13. Clausulas huius Bullæ Præseruatiuas apponit, §. 14. Et clausulam sublata, &c. §. 15. Executores deputat, §. 16. contrarijsque derogat, §. 17. M. Magistrum duas triremes pro Sede Apostolica instructas tenere, obligatum declarat, §. 18. Transumptisq; huius constitut. credi iubet, §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Cur putas sub denominatione S. Mauritij erectam fuisse eiusmodi Militiam?

RESP. Gloriosus fuit S. Mauritius Militum Magister pro Ecclesia, & Fide Christi cum socijs suis, vt scribit S. Gregorius, lib. 12. Epist. 21. & 23. relatis in capit. 117. caus. 23. quæst. 8. & in cap. seq. & tradit etiam Restaur. Castald. in suo Tract. de Imperat. quæst. 54.

Schol. secundum.

Quæro. Quis eius, Sociorumque præclara acta descripsit?

RESP. Sur. de Vit. SS. tom. 5. sub die 22. Septembris, qua S. R. Ecclesia eorundem gloriosi certaminis Festum piè recolit, vt eadem die notat Baron. in Martyrolog. vbi alios, qui de eisdem Martyribus scripserunt, commemorat, subditque Lanceam B. Mauritij in Ecclesia Cracouiensi asseruari ex Chron. de Reb. Polon. lib. 3.

CIII.

Edita Anno 1603.

Altissimi dispositione, & infra, pagina 151. Bullarij.

COMPENDIVM.

Duo Eremitoria vnum Eremi del Tardon. Cordoben. & alterum Vallis de Galleguillos Hispalen. diœcesf. fundata à Mathæo de la Frate Toletanæ Diœcesis, qui vnà cum socijs Sanctorum Patrum in solitudinibus errantium imitatores facti, ad illa se receperunt, ibique deuotæ contemplationi dediti proprio labore victum parantes, pauperem vitam ducebant, asperis vestibus corpus domantes, & eleemosynas non petierunt, neque oblata receperũt, Gregor. XIII. in monasteria Sancti Basilij Magni erexerunt, §. 1. Et illa cum alio monasterio Sanctæ Mariæ de Ouiedo Giennen. diœcesf. in vnam Prouinciam Sancti Basilij nuncupandam, necnon alijs monasterijs in Regnis Hispaniarum, in posterum construendis vniuerat, & sub futuri Abbatis generalis in Italia incorporauerat, §. 2. Sed exortis nonnullis postea perturbationibus hic Pont. eis sublatis ad Regularis obseruantię institui Sancti Basilij præseruationem statuit, & declarauit, Institutum S. Basilij esse monachale, & non solum cum cæteris io tribus substantialibus votis conuenire, sed quædam peculiaria præcepta habere, quorum duo præcipua sunt, Alterum in Oratione, Alterum in manuum laboribus ad necessaria comparanda exercitio, §. 2. & seqq. Firmauitque in capitulo primo, quid seruandum sit circa vitam communem. In Secundò, circa numerum Monachorum. In Tertio, circa Orationem, & chorũ. In Quarto, circa manuum laborem. In Quinto, circa esum carniũ. In Sexto, circa vestimenta. In Septimo, circa visitationem eorum, quæ hoc possunt impedire institutum. In Octauo, circa situm, & fundationem Monasteriorum. In Nono, circa receptionem Nouitiorum. In Decimo, circa Constitutiones de cætero faciendas. Istarum Constitutionum obseruantiam districtè præcipit, §. 15. Executoresq; deputat, §. 16. & seqq. Abbatis generalis potestatem circa hos Monachos Reformatos declarat, §. 19. Quos specialem Procuratorem in Romana Curia habere posse decernit, §. 20. Alios in Hispanijs existentes monachos, has constitutiones non acceptantes, & ad illa duo Monasteria del Tardon, & Vallis de Galleguillos non accedentes in alijs locis cum distinctis Superioribus iuxta antiquum eorum viuendi modũ, viuere indulget, sed Nouitios recipere vetat, §. 21. Et dicta duo monasteria tantum cum alijs ab eorum Monachis Reformatis denuo iuxta hanc reformationem fundandis, Nouitios recipere permittit, §. 22. Quibuscunque non obstan. §. 23.

Schol. primum.

Quæro. Hic Basilius cur Magnus nuncupatur?

RESP. Quia Athenis vna cum Gregorio Nazianzeno eius amicissimo, sæcularibus literis, deinde in Monasterio Sacris mirabiliter eruditus cum breui cursum fecit ad omnem doctrinæ, & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen inuenerit, vt habetur in 2. Noctum. fui, quod Ecclesia recitat, officij in 4. lectione sub die 14. Iunij.

Schol. secundum.

Quæro. Quo tempore vita excessit?

RESP. Anno Domini 378. die 1. Ianuarij Gratiano Imperante, Ecclesia tamen festum agit d. die 14. Iunij, qua ad Episcopatum ordinatus fuit, teste Baron. post alios quos recenset in suo Martyrolog. ijsdem diebus 1. Ianuarij, & 14. Iunij.

CIV.

Edita Anno 1603.

Ex iniuncto nobis, & infra, pagina 154. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statuit, Fratres Prædicatores Sancti Dominici cappam nigram, Fratres verò Eremitas S. Augustini Tuoicam nigram, vbique locorum deferre debere, ad euitandum habitus vtriusque Ordinis confusionem §. 1. & seqq. Controuersiam desuper ortam extinguit, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 6. Executores deputat, §. 7. Contraria remouet, §. 8. Transumptisque huius Bullæ credi mandat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Si ex his Fratribus, quis fiat Episcopus, vel Cardinalis poterit ne suæ habitum Religionis mutare?

RESPON. In suæ Religionis habitu perseuerare debet, & sic præter votum, quo se Deo astrinxit Religionis, in qua professus est, decus, & honorem seruat, atque testificatur cap. Clerici, 15. vbi Scribb. notant communiter de Vita, & honest. Clericor. & Oldrad. consf. 184. num. 13. & in addit.

Schol. secundum.

Quæro. Desertenti eiusmodi habitum, si extra Monasterium decedat, illud, aut eius consanguinei succedent?

RESP. Videntur consanguinei succedere, tanquam à iure vocati, nisi aliundè, quàm ex habitus delatione, defunctum constet illius Religionis esse professum, quia in grauibus præsumptio sumpta ex huiusmodi habitus delatione leuis est, & insufficiens, vt in simili quæst. de Clerico scripsit Tiraquell. de Præscription. lib. 6. præf. 76. num. 4. & seqq.

C V.

Edita Anno 1603.

EX debito pastoralis officij, & infra, pag. 155. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum plurima Sanctimonialium Monasteria sub regimine Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, nonnulla habeant Missarum onera ex diuersis piorum dispositionibus, & legatis iniuncta, & dictæ Missæ à Fratribus celebrari soleant, hic Pont. iustis de causis dicta onera ad Ecclesias dictorum Fratrum transfert, §. 1. & 2. Sed quod legata remaneant Monialibus, à quib. nihil Fratres pro dictis Missis recipere possint, nisi id, quod ex loci consuetudine pro eleemosyna vnius, vel plurium Missarum dari solet, §. 3. Decernit, quòd pro Monialium seruitio in Monasterijs, in quibus numerum 80. excedunt Missæ duæ in feriatis, tres verò in diebus festiuis, & in Monasterijs, vbi minor 50. Monialium numerus existat Missa vna diebus feriatis, & in festiuis duæ a Fratribus prædictis celebrari debeant, §. 4. Prohibetq; alia de causa, quàm ad celebrandas dictas Missas, & tunc de licentia Superiorum Fratres ad illa monasteria accedere posse, §. 5. Monasteriaq; prædicta monialiũ occasione d. translationis ab Ordinarijs, vel alijs non molestari, § 6. Clausulas huius concessionis præseruatiuas subdit, §. 7. Executores deputat, §. 8. Contrarijsque derogat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Pro Missa ergo, de qua in §. 3. pecuniam recipere licet?

R E S P. Non pro Missa cap. Non satis 8. vbi Canon. communiter de Simon. quia non est pecunia æstimabile cap. Qui studet 11. caus. 1. quæst. 1. & tradit Nauar. in Manuali Confessor. capit. 23. num. 106. Sed pro labore licet Clar. in § Simonia num. 2. vt exinde Sacerdos se valeat sustentare, Et ideò Pontif. permittit recipi pro eleemosyna. Et ita potest intelligi illud S. Augustini. *Accipient mercedem laborum sustentationis à Populo, mercedem verò à Domino*, vt inquit Graff. lib. 2. par. 1. suarum decis. capit. 96. num. 35.

Schol. secundum.

Quæro. Num prohibitio, de qua in §. 5. intelligen. sit, quando fiunt exequiæ in Ecclesijs earum monialium, aut Missæ celebrantur per octauam?

R E S P. Sacra Cardin Congregatio super consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita hoc dubiũ negatiuè resoluit die 9. Augusti, vt liquet ex eius lectura decreti, quòd hic censui imprimendum.

SAnctissimus D. N. Clemens Diuina Prouidentia Papa VIII. per suas literas in forma Breuis die 8. Nouembris 1603. Pontificatus sui anno duodecimo datas, ex huius sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotijs, ac consultationibus Episcoporum, ac Regularium præpositæ voto quamplurima Missarum onera ab Ecclesijs Monasteriorum Monialium totius Italiæ, & præsertim Galliæ Cisalpinæ, sub cura, & regimine Fratrum Minorum de obseruantia existentium in Ecclesias eorundem Fratrum Apostolica sua auctoritate transtulit, necnon certum numerum Missarum in singulis eorundem Monasteriorum Ecclesijs celebrandum præscripsit, præcipiens sub priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis pœna, ne quis ex dictis Fratribus ad prædicta Monialium Monasteria, præterquam ad celebrandas Missas prædictas de superiorum licentia, & in diebus Festiuitatum Monasteriorum huiusmodi, vel tempore receptionis, & professionis nouitiarum, siue obitus alicuius Monialis pro funere, & officio, vt moris est, peragendo, vllo modo accedere auderet, quemadmodum in eisdem literis plenius continetur. Cum verò vti Superiores eiusdem Ordinis eidem congregationi nuper exposuerunt in eisdem Ecclesijs Monialium existant nonnullæ sepulturæ, & capellæ, in quibus defuncti sepeliri solent, & ex testatorum voluntate anniuersaria, & exequiæ in die obitus, & per totam octauam celebrari consueuerunt, atque in posterum eiusmodi sepulturæ, & capellæ ex piorum legatis, cum pari onere extrui possint, opusque esse propterea videatur, ipsos Fratres ad ea pietatis officia præstanda ad dicta Monasteria accedere, & conuenire, eadem sacra Congregatio facto verbo cum eodem S. D. N. & de expresso ordine Suæ Sanctitatis declarauit, & declarat, eosdem Fratres, quando defunctorum corpora ad Ecclesias earundem Monialium deferri, & exequias, aut anniuersaria officia pro ijs, & Missas etiam per octauas celebrari contingit, ad easdem Monialium Ecclesias, & Monasteria de ipsorum superiorum licentia licitè, & absque pœnæ alicuius incursu accedere posse, dum tamen ea occasione tum temporis cum ipsis Monialibus non colloquantur. Firmis ceteroqui, & in suo robore permanentibus, quæ in dictis literis in forma Breuis statuta, & ordinata sunt. Romæ die 9. Augusti M. DC. IV.

ALEX. CARD. FLOR.

Berlingerius Gypsius Secret.

C V I.

Edita Anno 1563.

SAnctissimus D. N. Clemens, & infra, pagina 156. Bullarij.

COMPENDIVM.

Permittit Custodi Fratrum Minorum Sancti Francisci Strictioris Obseruantiæ, vt cum vnanimi duorum Guardianorum, & duorum Discretorum cuiuscunque Custodiæ voto, Nouitios ad habitum recipere possit, non obstantibus suæ Sanctitatis decretis, & cæteris alijs constitutionibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs, §. 1. Ita tamen, vt prius diligenter recipiendorum qualitates examinent iuxta Ordinis regulam, decreta, & constitutiones Apostolicas d. §. 1. Et Custos teneatur sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuę in proximo capitulo, vel congregatione Custodiali singulis annis habenda referre, quos acceperit Nouitios, & eorundem qualitates, & in quibus monasterijs recepti commorentur, approbationemq; receptionis obtinere, aliàs prædicta omnia nulla esse, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Vnanimis consensus, de quo in §. 1. dicetur ne si solummodo vnus dissentiat?

R E S P. Affirmatiuè respondet Butr. in capit. 3. de Eo quod met. caus. num. 1. Sed contrarium, & rectius firmat ibid. Panormit. num. 1. per illum text. idque benè probat text. in cap. 4. de Postulat. Prælator. & in cap. Vnanimiter 6. & ibi DD. eod. tit.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ sunt huius Pontificis decreta in §. 1. enunciata?

R E S P. Perlege in eius constitut. 83. de qua supra pagina 26.

C V I I.

Edita Anno 1603.

PRo nostro pastorali munere, & infra, pagina 156. Bullarij.

COMPENDIVM.

Si ex Congregatione Monachorum B. MARIAE Fulliens S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Monachi ad alium

Ord-

Ordinem transirent, & iterum ad eam reciperentur, illius quietem facilè perturbarent, quia diuersam viuendi formam seruarunt, seu ex quo licentiosè vixerunt Papa statuit, Ind. Congregatione professos ad aliam quamcumque Religionem etiam de Superiorum licentia transeuntes, nullatenus in hanc Congregationem recipi posse absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, §. 1. & 2. & Contraria quæcumque non obstare decreuit, §. 3. Huiusque diplomatis transumptis credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Dicesne hanc prohibitionem comprehendere transitum ad arctiorem Ordinem?

R E S P. Dicam, quia cum prohibitio sit in duabus rationibus fundata, licèt secunda cesset, sufficit tamen illa prima diuersitatis vitæ, quæ remanet, præsertim attenta illa alternatiua (seu) cuius natura est, quòd vnum ex alternatis verificetur, & militer l. Si hæredi plures 5. iuncta glos. vlt. ff. de Condit. instit. cum alijs allegatis à Roman. cons. 173. num. 1. Bald. cons. 110. lib. 2. num. 3. Aegid. cons. 2. nu. 7. & Mandell. cons. 234. num. 14.

Schol. secundum.

Quæro. Vtrum transitus de vna in aliam Religionem sit regulariter conueniens?

R E S P. Non, nisi propter magnam necessitatem, & vtilitatem, alioquin multa exinde damna proueniunt. vt ex Abb. Nestorio, & D. Bernardo explicat Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. quæst. 52. artic. 1.

CVIII.

Edita Anno 1604.

CVm Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & infra, pagina. 157. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vnam, eamdemque obseruantiam celebrandi Missam collaudat in proœm. Pius ideo V. in sua const. 106. de qua supra pag. 65. tom. 2. Missale reformauit, §. 1. Sed in nonnullis perperam immutatum videtur, §. 2. Hic Pont. suæ integritati restituit, & emendauit, §. 3. Idemque à Pio V. editum, & sic recognitum publicari iussit, §. 4. Romæ, & non alibi absque Inquisitorum, vel eis non extantibus, Ordinariorum licentia imprimi mandat, §. 5. Aliorum vsum interdicit, §. 6. Licentiarum prædictarum, vt dentur, formam præscribit, §. 7. Missalium iam Impressorum vsum permittit, §. 8. Contrarijs derogat, §. 9. Transumptisque huius constitutionis credi decernit, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Si vna, eademque missandi commendanda est obseruantia, vt hic supra habetur in proœmio, cur quandoque videmus missas post meridiem celebrari contra communem obseruantiam?

R E S P. Quia illa non habet locum, si aliqua iusta subest causa post eam horam celebrandi, prout sic tàm de iure Canonico, quàm ex communi vsu id licere tradit post alios Nauarr. de Oration. & Hor. Canonic. cap. 21. num. 31. vbi subdit exemplũ de eo, qui die festiuo iter faciens, & Missare non valens in loco, vnde exiuit, nec ante meridiem peruenire ad locum prandio destinatum, vtique potuit in eo postea Missare, vt ipse, suique socij præcepto audiendi Missam satisfacerent.

Schol. secundum.

Quæro. Cur Sacerdos quandoque Missam celebrat vno eius Ministro dumtaxat assistente, cum sæpius eum salutando dicat, *Dominus vobiscum*, quæ salutatio duos saltim adesse præsupponit, l. Vbi numerus 12. ff. de Testibus cum similibus. Prout, & de eiusdem Ministri verbis, *Habemus ad Dominum*, dicendum est?

R E S P. Ex mente S. Thomæ 3. par. quæst. 3. artic. 5. ad 12. respondet Nauarr. & neruosè quidem de Oration. & Hor. Canonic. cap. 22. num. 87. Ministrum repræsentare personam totius Ecclesiæ; Et ideo ex persona sua pluraliter salutari, & pluraliter respondere.

CIX.

QVoniam nemo, & infra, pagina 158. Bullarij. Edita Anno 1604.

COMPENDIVM.

Fratribus Ordinis Cruciferorum Prælaturas, & gradus Ordinis assequi intendentibus, fautoresque ad id à personis extra Ordinem, vel aliàs non legitimè eas procurantibus eorumque complicibus, & fautoribus pœnam inhabilitatis ad dignitates, & munera Ordinis, priuationisq; vocis actiuæ, & passiuæ imponit, §. 1. & seqq. Admittentibusque prędictos ad ea officia pęnam excommunicationis latæ sententiæ infligit, §. 4. Electionesq; eorumdem irritas decernit, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari pręcipit, §. 6. Contrarijsque derogat, §. 7. Et hanc prohibitionem in Capitulo publicari, eiusque transumptis credi iubet. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quid est quod à Paulo V. dicitur circa eiusmodi Fratrum ambitum nouissimè diffinitum?

R E S P. Clementis constitutionem prædictam speciali eius diplomate solummodo confirmauit die 3. Octobris 1615.

Schol. secundum.

Quæro. Num, & Milites Cruciferi extiterunt?

R E S P. Cruciferorum familias, seu Crucesignatos, vt operam militarem in fidei causa pręstarent, extitisse scribit Petr. Greg. Tholos. de Syntagm. iur. lib. 15. cap. 33. num. 4.

CX.

QVoniam nostro pastorali, & infra pagina, 159. Bullarij. Edita Anno 1604.

COMPENDIVM.

Prohibet Fratribus omnibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo ad tribunalia sæcularia appellare quouis prætextu, aut ea quoquomodo adire, sed si se grauati pretendunt ad Priorem Generalem d. Ordinis, aut ad illius Protectorem in Romana Curia, vel ad Romanum pro tempore Pontificem recurrere permittit, §. 1. & 2. Contrauenientibus excommunicationis latæ sententiæ, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia, & vocis actiuæ, & passiuæ, eo ipso absque alia declaratione incurrendas pęnas imponit, d. § 2. Fautoribus, & Consultoribus easdem pœnas infligit, §. 3. Contraria tollit, §. 4. Huiusq; prohibitionis transumptis credi decernit, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Consultor non secuto recursu incidet in has pęnas?

R E S P. Non incurrit, quia seorsùm à principali delinquente punitur Caiet. in sua Summa in verbo Excommunicatio cap. 25. & Nauar. in Manual. Confess. cap. 27. num. 51. versic. Adde, & 10 Comment. ad Bullam Gregor. XIII. de Dat. & recept. notab. 26. num. 43.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de consultore, qui consilium reuocauit?

R E S P. Idem, sed scias non sufficere simplicem reuocationem, sed necesse est, vt contrarium suadeat; non enim ille de facili consilium relinquet, quia iam sua interesse fuerat persuasum, Innocent. in cap. Ad audientiam 12. de Homicid. sub num. 3. & de communi testatur Soc. ibidem num. 317.

§.12. Executoresq; huius Bullæ deputat, §.13, Vicarium Eremi,ex ipsis Eremitis eligi iubet, §.6. Eorum professionem, & modum statuit, §.17. Post eam ab Eremo diuerti prohibet,§.18.Superioribus auctoritatem daodi licentiam circa seruitium Chori, & ieiunium aufert, §.19. Nouitiorum recipiendi formam præscribit, §.20. Infirmis eius car nium quando concedi possit declarat, §.21. Alijs omnibus etiam exteris in Eremo vetat,§.22.Hospites biduo tantum permittit,decernit,§.23. Legata omnia,& eleemosynas Ere mus habere possit,§.24. Quæ pro Eremi sustentatione, & augmento esse iubet,§.25.Quibuscunque non obstantibus, §.26. Nouitiatum in eo erigit, §.27. & seq. Contrarijsque derogat, §.29.

Schol. primum.

Quæro. Huius Eremi nunc testitutæ quot fuerunt illi primi antiqui promotores?

RESP. Septem nobiles Viri Florentini anno 1233. vt scribit Roderic. de Quæstion. Reg. tom.1. quæst. 3. attic. 5. & Ciacon. in vita Inocen.IIII. (licèt ibi erret in tempore) & Azor.de Institut.Moralib. tom.1. lib.13. pagina mihi 1661.

Schol. secundum.

Quæro. Qui fuerunt illi promotores?

RESP. Bonfilius Monaldus, Bartholomæus Amadeus, Bonaiunctus Manettus, Manettus de Antella,Sostenius de Sostenijs, Recuperus Vguccionus, & Alexius Falconerius in altissimo Monte Senario, Eremiticam vitam ducere cœperunt,Oratoriumque Beatæ MARIAE Virginis constru xerunt, vt perlegi in Prologo nouarum Constitutionum di ctæ Eremi à Paulo V. comprobatarum, & Florentiæ anno 1613. impressarum.

LXXXI.

Edita Anno 1601.

ETsi aliàs fel.record. Paulus Papa IV. & infra, pagina 128. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat, Paulum IV. statuisse,quòd non promoti ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, Missarum celebrationē vsur pare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumētes, ab Inquisitoribus Curiç sæculari tradantur,debita animad uersione puniendi io proœm. Et Sixt. V.eandem legem con firmasse,nonnullos tamen prætextu eius ignorantię, dictis pœnis obnoxios non esse prætendere, §.1. Ne igitur in futurum de impositione dictæ pœnę valeat hæsitari, decernit,prædictos delinquentes à Iudicibus S.Inquisitionis,vel locorum Ordinatijs à foto Ecclesiastico abijciendos esse,& ab Ordinibus Ecclesiasticis ritè degradatos Curiæ sæcularis debitis pœnis plectendos tradi, §.2. & 3. Quibuscunque non obstantibus, §.4. Et vt ignorantia huius Constitutionis minimè de cætero valeat allegari, decernit eam Romæ publicari, & exinde,qui in Vrbe post mensem,qui verò extra eam citra montes post quatuor, & qui vltra montes post decem Menses arctare, ac si personaliter eis intimata foret,§.5. Et eiusdem transumptis credi iubet, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Degradatio, de qua hic agitur, quo iure introducta?

RESP. Iure diuino,Exodi, vbi de Altari certos delinquentes euelli mandat, hoc est,degradari, vt moriantur & ita scriptum reliquit Ancharan. in conf.158.num.5. Tusc. in litera D,conclus.139 num.5.

Schol. secundum.

Quæro. Actualis degradatio à locorum Ordinarijs fienda, vt in §.3. potest ne fierr ab Episcopo electo, nondum consecrato?

RESP. Non, quia hæc potestas ordinandi Clericos cōfertur Episcopis in eorum consecratione cap. Quod sicut 28.§. præterea de Elect.& consequenter electus,& non cōsecratus eam non haber, & multò minus Clericos deponendi, cum maior potestas requiratur in auferendo, quàm in conferendo, ita post alios tenet Arnald. Albertin. in repe tit. cap.1. de Heretic. in 6. quæst. 6. num.6.

LXXXII.

Edita Anno 1602.

ALiàs fel.record. Gregor.XIV. & infra, pagina 129. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Gregorius XIIII. Fratres Capuccinos aliorum Confessiones Sacramentales, nequaquam audire posse decreuit in proœm. Et tamen plerique desiderant dictis Capuccinis ob eorum in eorundem Ordinem deuotionem, confiteri posse, §. 1. Moderando hic Pontif. prædictam Gregorij Constitutionem statuit, vt Minister Generalis, & Diffinitores in Capitulo generali tantum congregati,& vsque ad aliud subsequens Capitulum generalem, & non vltra, & sic de Capitulo ad Capitulum, religiosis ipsius Coogregationis Capuccinorum,ad audiendum Confessio nes approbaris, licentiam concedere possint, sæcularium vtriusque sexus confessiones audiendi, §.2. Et quascunque alias licentias reuocat,§.3. Contraria remouet, §.4. Et huius Constitut. transumptis credi mandat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba (*ad audiendas confessiones approbatis*) intelliguntur nè de approbatione Superiorum ipsius Ordinis, vel potius Ordinariorum?

RESP. De vtraque; sic etenim statuit hic Pontif. infr. in constitut.115.§.9. & ante eum Pius V. in sua constitut. 233. de qua supra pag 73. tom.2.

Schol. secundum.

Quæro. Approbatus semel ab Ordinario num sufficiet?

RESP. Sufficere iam declarauit Pius V. in dict. eius Constitut.133.

LXXXIII.

Edita Anno 1596. 1599. 1602. et 1603

IN suprema Catholicæ Ecclesiæ specula, & infra, pag.129. *Item*, Regularis disciplinæ, & infra,pag.130. *Item*, Sanctissimus in Christo, & infra, pag.130. *Item*, Sanctissimus, & infra, pagina 130. *Item*, Cum ad Regularem, & infra, pagina 131. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus Quintus Constitut.71.de qua supra pagina 130. numero 2. edidit circa formam, & qualitates admitten. Religiosos ad Ordines Regulares, §.1. Gregorius Decimusquartus in sua constitut.3. de qua supra pagina 143. tom.2.moderationem adhibuit, §.2. Hic Pontif. renouat, & ad terminos iuris reducit Sixti Quinti constitutionem in his, quæ concernunt nullitatem professioois Nouitiorum, §.3: Pœnas tamen impositas Superioribus Ordinum præseruat, §. 4. Subsequuntur decreta circa admissionem Nouitiorum, Quod scilicet solum in locis destinandis in §.1. & seqq. Et examinentur,vt in constitut. subseq. Nouitiatuum formam, & qualitates præscribit, §.26. Magistrorum electionem, & munus declarat, §.27. Regulasq; à Nouitijs obseruandas ponit,§.28.& seqq. Conuersorum iostitutionem, & educatiooem tradit, §.33. Recipiendorum ad Professionem qualitates describit,§.34. Librum registri Professionum teneri præcipit, §.35. Ac filiationum, §.36. Numerum Religiosorum cuique Conuentui præscribi iubet, §.37. Professoribusq; de nouo, loca particularia assignari mandat, §. 38. contrauenientibus pœnas imponit, §. fin.

Schol.

Schol. primum.

Quaero. Nouitij donatio ante susceptum habitum, in sęculo scilicet, intuitu ingressus in Religionem, esset ne valida?

RESP. Dubitauit Nauarr. consil. 81. de Regular. libro 3. in Nouis impressis anno 1610. ac Molina de Iustit. & iur. disputat. 139. Sed dubium sublatum est à Sacra Cardinalium Congregatione, super Consultationibus Regularium, quę censuit non valere, vt aduertit Apostillator ad d. consil. Nauar. in fine, & Menoch. de Arbitr. Iudic. casu 436. num. 3. in addit.

Scholium secundum.

Quaero. Nouitius posset ne renunciare anno probationis, & eo non completo, professionem emittere?

RESPON. Non, quia resistit Concil. Trident. quo cauetur minori tempore ad professionem non admitti, vt in sess. 25. de Regular. capit. 15. Quod cum introductum sit ad fauorem publicum, ei renunciari non potest Nauar. consil. 17. lib. 3. de Regular. n. 1. in impressis de anno 1610. & latius deducit Roderic. de Quaestion. Regular. tom. 2. quaest. 15. art. 7.

LXXXIV.

Edita Anno 1602.

SAnctissimus D.N. Clemens, & infra, pagina 133. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum Fratres Minores Sancti Francisci de Strictiori Obseruantia sint obligati ad obseruantiam Regulę eiusdem Sancti Francisci, iuxta declarationem Nicolai III. & Clementis V. ortum est dubium, An possint in eorum Ecclesijs habere organa, paramenta, & vasa Ecclesiastica pretiosa, ac excessiua, §. 1. Hic ideò Pontif. declarat, ea posse retinere in locis, vbi ea reperiunt, vel reperient, & illis vti donec durabunt, sed vbi non sunt, de nouo acquirere non posse, §. 2. & 3.

Schol. primum.

Quaero. Vbi leguntur Constitutiones Nicolai III. & Clementis V. enunciatę in §. 1. & à Genitore tuo praetermissę?

RESPON. Prima est in cap. 3. de Verborum signific. in 6. Secunda verò in clement. 1. eodem titulo; Et ideò praetermissę cum Genitoris mei intentio fuerit extra volumina iuris vagantes constitutiones, in vnum colligere, vt in sua ad Paulum V. Epistola Operis dedicatoria significauit.

Schol. secundum.

Quaero. Pretiositas ergo Vasorum, & Ecclesiasticorum Paramentorum est etiam interdicta Fratribus Regularis Obseruantię, vigore Regulę, & praedictarum Constitutionum?

RESP. Hoc verissimum apparet, sed illi Fratres fuerunt posteà in hoc à Pontif. successoribus dispensati, vt benè explicat Corduba in Compendio Priuileg. Fratrum Minorum, in §. Ornamenta, & Roderic. de Quaestion. Regular. tom. 2. quaest. 15. art. 1. & 2.

LXXXV.

Edita Anno 1602.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 133. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalium de mandato huius Pont. decreuit, quòd congregatio Fratrum Sanctissimę TRINITATIS Redemptionis Captiuorum, & Congregatio Fratrum Beatę MARIAE de Mercede, Redemptionis Captiuorum, quę statis anni temporibus absolutionem, & Indulgentiarum communicationem facere solebant, non faciant de caetero dictam absolutionem, sed communicationem Confratribus, & Consororibus tantum ipsarum Congregationum, contritis tamen, confessis, & Sacra Communione refectis, §. 1. vsque ad 4. Idemque statuit de Communicatione bonorum operum, §. 4. Cuius bonorum operum communicationis formam praescribit, §. 5. Prohibet publicè Populum inuitari ad eiusmodi communicationes per affixionem cedularum, §. 6. Formam communicationis Indulgentiarum praescribit, §. 7. Haec omnia Pontif. iste postea comprobat, §. 8. Irritum decernens quicquid in contrarium fieri contigerit, §. 9. contrarijs derogat, §. 10. Transumptisque huius Constit. credi iubet, §. 11.

Schol. primum.

Quaero. Communicationem bonorum operum, de quibus in §. 5. nonne Praelati Congregationum praedictarum potuissent earum deuotis dare, etiam circumscripta hac Bulla?

RESP. Potuissent, vt pluribus post alios probat Nauar. de Orat. in Miscell. 26. num. 28.

Schol. secundum.

Quaero. Bona opera alicuius singularis personę dictarum Congregationum potuissent illo nolente alteri applicare?

RESP. Non, nisi ex aliqua magna causa, & tunc solum pro ea parte, quia ille non indigeret, vel alijs non esset iam applicata, ita tradit Nauar. ibidem numero 28.

LXXXVI.

Edita Anno 1602.

CVm in Ecclesia Catholica, & infra, pagina 134. Bullarij.

COMPENDIVM.

Orandi varietatem in Ecclesia Dei vitandam asserit in proem. Pius ideò Quintus, Breuiarium emendauit, §. 1. Sed immutatum videtur in multis, §. 2. Hic Pontif. iteratò examinari, & emendari, ac Romę in Typographia Vaticana imprimi fecit, §. 3. Alibi absque Inquisitorum, & eis non extantibus Ordinariorum licentia imprimi vetat, §. 4. Typographis alibi, vel aliter imprimentibus, & Bibliopolis vendentibus poenas imponit, §. 5. Licentiarum autem praedictarum, si concederentur formam praescribit, §. 6. Vsum Breuiariorum iam impressorum permittit, §. 7. Contrarijsque derogat, §. 8. Et transumptis huius Constitut. credi mandat, §. 9.

Schol. primum.

Quaero. Monachi, qui non tenentur nouo Breuiario à Pio Quinto edito vti, in casibus ibi exceptis, possent, si vellent, eo vti extra Chorum?

RESP. Pro affirmatiua, & negatiua, aliquid scribit Nauar. Sed negatiuam magis probare videtur in consil. 16. de Celebrat. Missar. tom. 1. lib. 3. secundum impressionem de anno 1610. & sequitur Graff. lib. 2. par. 1. suarum decis. capit. 51. num. 11.

Schol. secundum.

Quaero. Quid si vti vellent in Choro?

RESP. Possent, si accederet consensus Abbatis, & Capituli, & non aliàs, vt cauetur in ipsa Bulla Pij V. & tradit Nauar. vbi supra, & in consil. 5. num. 1.

Sanctis.

LXXXVII.

Edita Anno 1602.

SAnctissimus D.N. Clemens, & infra, pagina 135. Bullarij.

COMPENDIVM.

Damnat, & prohibet propositionem, quæ dicitur licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere, §.1. Prohibet hanc propositionem de cætero doceri, defendi, imprimi, aut ad praxim deduci sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & alijs pœnis arbitrio infligendis, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quid si quis sit inter Infideles, vel in carceribus secretis?

RESP. Adhuc intrat prohibitio, quia confessio est actus personalis, idest, fienda personaliter Sacerdoti, præcepit enim Dominus mundandis, vt irent, & ostenderent ora Sacerdotibus. c. Quem pœnitet 88. de Pœnit. dist. 1. vbi glos. allegat tex. concord. Sufficit autem contritio carceratо, vel apud Infideles existenti, secundum veriorem, & magis communem opinionem, de qua testatur Graff. libro 1. suarum Decisionum, parte prima cap. 14. num. 31. & seq. & in Append. lib. 1. cap. 5. num. 3. vbi vrgentes admodum rationes adducit.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si non per internuncium, sed per interpretem?

RESP. Valet confessio, si fiat ex causa, vt si Confessarius non habet notam linguam confitentis, vel nutus alicuius muti, aut infirmi balbutientis: iste enim id agit cum Sacerdote, qui mediante interprete potest confitentem diligenter examinare, quod non est, si fiat confessio per literas, vel internuncium, vt ex D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4. explicat Graff. vbi supra, post Scribb. in dicto capit. Quem pœnitet.

LXXXVIII.

Edita Anno 1602.

QVæ ad pietatis, & caritatis opera, & infra, pagina 135. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in sua Constitut. 94. de qua supra, pagina 109. tom. 1. deposita pecuniarum supra scuta quinq; quæ lite pendente in Vrbe fieri contingeret, penes Montē Pietatis Vrbis à Iudicibus fieri mandari decreuit, §.1. Hic Pont. confirmat, §.2. Addit, omnem pecuniam redigēdam ex subhastatione bonorum per Cursores, seu Mandatarios fienda, necnon pretium bonorum, vigore Constitutionis ab eodem Gregorio XIII. super iure congrui editæ vendendorum, ac omnem pecuniam de mandato Papæ deponendam, apud eundem Montem deponi debere, §.3. Et nō apud Mercatores, §.4. Cursores, & Mandatarios pretium, quod supereſt de rebus subhastatis apud hunc Montē deponere iubet, §.5. Notariosque dicta deposita recipere prohibet, §.6. Sequestra quæ, & quando Officiales Montis acceptare possint, declarat, §.7. Protectori, & Iudici Montis cognitionem eius, Officialiumque causarum, tàm ciuiliū, quàm criminalium, & mixtarum, & huius Bullæ executionem committit, §.8. & seqq. Solutionem Montis præmio Iudicis decreto tutam esse decernit, §.14. Clausulas præseruatiuas, & derogatorias ponit, §.15. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Hodie dubitatum vidi, an Pauperior, qui plus mutuo accepit à Monte Pietatis, plus compellatur soluere, quàm pauper, qui minus accepit, quid responden.?

RESP. Quæstionem hanc doctè quidem diffinit. Salon. in 2. Sancti Thomæ, quæst. 88. art. 2. de Monte Pietatis num. 15. ostendens, quòd sicut iustum est, vt qui plus indiget plus recipiat, ita è conuerso plus contribuat pro expensis Montis.

Schol. secundum.

Quæro. Si ageretur à Fisco ad pœnam fractæ pacis, causa dicitur criminalis, vel ciuilis, de qua in §.8. & seqq.?

RESP. Ciuilis, si agitur ad pœnam promissam in contractu pacis, Bart. in l. 1. de Sepulch. Viol. Rota decis. 216. in Antiq. secundum impressionem antiquiorem. Bertazol. consil. 280. lib. 2. num. 6.

LXXXIX.

Edita Anno 1602.

APostolicæ Sedis auctoritati maximè conuenit, & infra, pagina 138. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Caroli Molinæi scripta, & Commentaria, doctrinam perniciosam, & Catholicæ Fidei contrariam continent, ideòque in Indice Librorum prohibitorum expressè interdicta, Et nihilominus nonnulli eis varijs sub prætextibus vtuntur, & vtendi licentias impetrant, Ideò ille hic Pont. iterum damnat, illorumq; Lectionem, & retentionē cuiuscumque status personis, sub pœnis in dicto Indice contentis, ac etiam suspicionis hæresis omnino interdicit, §.3. Quascumque licentias etiam à Cardinalibus super dicto Indice deputatis, ac supremis Inquisitoribus concessas reuocat, §.4. Et à solo Pontifice subscriptas valere declarat, §.5. Libros tamen Iuris Canonici, & Authorum Catholicorum habentes adnotationes, siue Apostillas huius Caroli deletis illis, & emendatis, iuxta censuram nuper editam retineri indulget, §.6. Et supradicta opera Caroli prohibita Ordinarijs, vel Inquisitoribus consignari mandat, atque comburi, §.7. Et huius Bullæ publicationem Romæ factā, omnes arctare decernit, §.8. Illiusque transumpta in partibus ab Ordinarijs publicari, & obseruantiam curari iubet, §.8. Quibuscunque non obstantibus. §.9.

Schol. primum.

Quæro. Si quis compertus esset habere eiusmodi Libros, num se defendere posset, si diceret, retinuisse ad confutandum?

RESP. Non, quia eorum Lectio perniciosa, ac periculosa est, ita post alios tenet Pegna in Directorio Inquisitor. par. 2. Commentat. 3. versic. Tametsi.

Schol. secundum.

Quæro. Si iste Carolus viueret, & alia Commentaria in futurum componeret, censerentur ne etiam illa damnata, absque noua prohibitione?

RESP. Ita sanè, quia semel damnato authore omnia ab eo scripta damnata censerentur, vt tradit idem Pegna, vbi supra, versic. Monendi tamen sunt.

X C.

Edita Anno 1602.

QVæ ad Religiosorum antiquum institutum, & infra, pag. 139. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decreuit, quòd Congregatio Canonicorum Sæcularium S. Georgij in Alga Venetiarum, vt tàm domi, quàm alibi, omni tempore Religiosi ipsius Congregationis deferant togam coloris cærulei, prout deferebat B. Laurentius Iustinianus eiusdem Congregationis institutor, & modò supplicat Papæ pro dicti decreti confirmatione, §.1. Qui confirmat, perpetuòque, & inuiolatè præcipit obseruari, §.2. Quibuscunque non obstantibus, §.3.

Schol.

Schol. primum.

Quæro. Vidi hos Canonicos Missam, & Officium de hoc B. Laurentio in eius Festo, & Octaua celebrare, dic amabò, qua id faciunt authoritate?

RESP. Indulto huiusmet Clementis, cuius hic subsequitur tenor.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NOstræ authoritatis partes in his rebus libenter interponimus, quæ ad Religiosorum pietatem, & deuotionem, quam erga suæ Religionis fundatores, Viros Beatos gerunt, magis declarandam pertinent, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Rectorum generalium, & Vniuersarum Congregationum S. Georgij in Alga, & Sancti Ioannis Euangelistæ Regni Portugalliei, quæ sub eisdem habitu, & Regula sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantur, nobis nuper expositum fuit, quòd cum pro eo, quem erga Beatum Laurentium Iustinianum primum Patriarcham Venetiarum, earumdem Congregationum, Fundatorem, gerunt deuotionis affectu, Officium de eodem Beato Laurentio, quod ex Apostolicæ Sedis indulto de Communi Pontificis Confessoris, in eisdem Congregationibus recitatur, cum Lectionibus proprijs, & Missam, vt infra deinceps recitare, & celebrare posse desiderent, Lectiones huiusmodi cum Antiphonis, ac Orationibus ad præscriptum Romani Breuiarij Festo ipsius Beati Laurentij accommodatis compilari curarunt, ac ad Nos, & Apostolicam Sedem examinandis, & approbandis humiliter remiserunt; Nobisq; humiliter supplicari fecerunt, vt eorum pio desiderio in præmissis de benignitate Apostolica annuere dignaremur. Nos igitur Rectorum, & Congregationum prædictarum pijs votis, quantum cum Domino possumus satisfacere cupientes, Lectiones, Antiphonas, & Preces, ac Missam prædictas dilecto filio nostro Cæsari tit. Sanctorum Nerei, & Acchilei Presbytero Cardinali Baronio nuncupato, examinandas, & reformandas commisimus, qui Cæsar Cardinalis retulit diligenter se illas examinasse, vidisse, cognouisse, atque probasse. Quare prædictos Rectores, & Congregationes, eorumque Canonicos, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, &c. supplicationibus eorum nomine super hoc, vt præfertur, humiliter porrectis inclinati; Lectiones, Antiphonas, Preces, & Missam huiusmodi, vt præfertur, à dicto Cæsare Cardinali visas, cognitas, examinatas, atque probatas, ac inferius insertas Apostolica auctoritate, præsentium tenore perpetuò confirmamus, & approbamus, ac eisdem Rectoribus, & Canonicis vniuersis, vt tàm publicè in Choro, quàm priuatim illas in Officio, quod in Festo, & Octaua Beati Laurentij ab eis recitatur, pariter respectiuè recitare, & illas recitando obligatione recitationis diuini Officij satisfacere possint auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Non obstante quòd Festus dies Beati Laurentij prædicti non sit in Kalendario Romano descriptus, ac noua Breuiarij editione, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque.

Datum Ferrariæ die 27 Septembris 1598. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Schol. secundum.

Quæro. Sed cur etiam qualibet Quinta Feria cuiuslibet Hebdomadæ alio Festo non impedita, idem recitant Officium?

RESP. Alio suffulti fel. rec. Pauli V. indulto, cuius hic habes exemplar?

PAVLVS PAPA QVINTVS,

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm sicut accepimus felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædecessor noster aliàs dilectis filijs Canonicis Congregationis Sancti Georgij in Alga Venetiarum indulserit, vt in eorum Ecclesijs Festum Beati Laurentij Iustiniani, dictæ Congregationis Fundatoris solemniter celebrare, ac Officium, & Missam cum Lectionibus proprijs de eodem Beato Laurentio recitare licitè possint, prout in eisdem Prædecessoris literis in forma Breuis desuper expeditis plenius continetur. Cumq; postea ijdem Canonici in Capitulo generali eiusdem Congregationis ordinauerint, vt ab eiusdem Congregationis Canonicis, & Religiosis Officium prædictum de Beato Laurentio Feria v. cuiuscumque Hebdomadæ alio Festo non impedita recitaretur. Nunc vt officium ipsum dicta Feria v. maiori cum veneratione recitetur, cupiunt huiusmodi ordinationem per nos comprobari, ac aliquam illis, ac alijs interessentibus, indulgentiam benignè concedi. Quare Nobis supplicatum fuit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorum pijs votis, quantùm cum Domino possumus, annuere cupientes, ac ipsos Canonicos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum quemlibet, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, vel pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis (si quibus quomodolibet innodati existunt) ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, necnon literarum Clementis Prædecessoris prædictarum tenorem præsentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati ordinationem prædictam de recitando Officio de Beato Laurentio Feria v cuiuscumque Hebdomadæ alio Festo non impedita confirmantes, & approbantes, omnibus, & singulis eiusdem Congregationis Canonicis, qui Officium huiusmodi, siuè in Choro, siuè extra Chorum deuotè recitauerint, vt præfertur, necnon alijs vtriusque sexus Christi fidelibus Officio huiusmodi, seu Missæ de Beato Laurentio deuotè interessentibus, tres annos de iniunctis eis, siuè aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta, qualibet vice id egerint, relaxamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, & præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur vbiq;, quæ ipsis præsentibus haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo Piscatoris die 29. Iulij 1605. Pontificatus nostri Anno Primo.

XCI.

Edita Anno 1602.

PRo nostri pastoralis muneris debito, & infra pagina 139. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prouincialem, & Fratres Tertij Ordinis S. Francisci Prouinciæ Dalmatiæ, & Iustinopolitan. Vicario, & Visitatoribus Generalibus d. Tertij Ordinis Italiæ subijcit, illosq; Fratribus Italiæ vnit, §. 1. 2. & 3. Et istorum priuilegia illis communicat, §. 4. Vicario, & Visitatori prædictis, vt Prouincialem, & Fratres d. Prouinciç Dalmatiæ, & Iustinopolitan. benignè recipiant, adhortatur, §. 5. Eosq; è conuerso debitam, deuotamq; reuerentiam istis exhibeant, §. 5. Quibuscumque non obstantibus, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Visitator num poterit alteri Visitationem delegare?

RESP. Si Visitator est electus cum plenitudine potestatis, poterit, nisi sit restricta electio ad personaliter visitandum Roderic. post Felyn. quem allegat de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 4. art. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Visitator habet ne summariam iurisdictionem?

RESP. Habet, procedit etenim absque figura iudicij, debet tamen audire partem, eiusque legitimam defensionem, clem. Pastoralis. in fin. de Re iud. & Feder. de Sen. consf. 55. num. 1. & 2.

XCII.

Edita Anno 1602.

EX iniuncto nobis Apostolici muneris debito, & infra pag. 140. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia aliqui in dubium reuocarunt, an Fratres Reformati Ordinis Minorum S. Francisci de Strictiori obseruantia sint veri obseruantes regulæ S. Francisci, eo quòd sub obedientia Custodum iuxta huius, aliorumque Pont. Constitutionum formam viuunt, & eorum Superiores Custodes, & non Ministros appellent, ideoq; non satisfaciunt regulæ S. Francisci, iuxta cuius literam sub obedientia Ministrorum viuere debent, §. 1. Declarat hic Pont. Custodes à Ministris solo nomine differre, & propterea eos veram S. Francisci, & non nouam regulam obseruare, §. 2. Priuilegijs, & præeminentijs Fratrum de Obseruantia gaudere declarat, §. 3. Et ita, & non aliter seruari præcipit, §. 4. Executoresq; deputat, §. 5. Contraria tollit, §. 6. Transumptis quoque credi mandat, §. 7.

Schol primum.

Quæro. Quæ est huius Pontificis constitutio, de qua in §. 1.?

RESP. Est constitutio 45. de qua supra pag. 14.

Schol. secundum.

Quæro. Custodum, & Ministrorum nomina nonne synonima ex ipsamet B. Francisci regula dignoscuntur?

RESP. Synonima sic dignosci apertè demonstrat Roderic. de Quæstion. Regul. q. 70. art. 1.

XCIII.

Edita Anno 1602.

APostolici muneris, & infra, pag. 141. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio pro regimine Monasterij S. Catherinæ de Roma dudum in Vrbe pro adiuuandis, & piè educandis pauperibus Puellis in periculo amittendæ pudicitiæ constitutis, erecti, donec ad nubilem ætatem peruentæ, congrua constituta dote, matrimonio collocentur, multoties ob eius paupertatem, rerum angustia præmitur, supplicat Papæ pro opportuna desuper prouisione, §. 1. Qui ideo statuit, vt Congregatio ad dictis puellis in totum, vel in parte alimenta subministranda parentes cogant, vel consanguineos, ad quos earum cura, & alimentatio pertineret, vel bona puellarum existerent, iuxta qualitatem personarum, §. 2. Puellasq; in d. Monasterio degentes nullo pacto absque Prelati Congregationis consensu, præterquam in Monasterij vtilitatem, contrahere posse vetat, §. 3. Easq; à Congregatione dotatas sine filijs legitimis, & naturalibus decedentes, de eorum bonis etiam ad fauorem aliorum locorum piorum, nisi dicto Monasterio vltra dotem, quartam partem bonorum suorum relinquant, disponere prohibet, §. 4. Clausulas præseruatiuas huius Bullæ subdit, §. 5. Contrariorumque derogatorias, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Tanto ergo studio Virginitas, & pudicitia procuranda est, & æstimanda?

RESP. Meritò quidem, cum Virginitas Dei Templum sit, & qui eam habet, fortitudinem habere dicitur, cap. Ita ne aliqui. 3. caus. 32. quæst. 5 & tradit August. de Ciuit. Dei, lib. 2. c. 26. Ac Ciprian. in lib. de Virginitate, inquit, *Virginitas est Soror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, possessio omnium bonorum, quæ tenet in Cælo aureolam & in Terra principatum.* Sed, & alia multa de Virginitate scitu digna scribit Chassan. Cathalog. Glor. Mundi p. 3. consid. 39.

Schol. secundum.

Quæro. Qui sunt illi consanguinei, ad quos puellarum alimentatio, de qua in §. 2. pertinet?

RESP. Longo sermone id explican. foret, perlege ergo post alios Surd. de Aliment. tit. 1. per totum.

CXIV.

Edita Anno 1602.

SAnctæ R. E. dignitati, & infra, pagina 142. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert, Vniuersitatem Studij generalis antiquitus in Ciuitate Ferrariæ fuisse institutam, §. 1. Cui dat ipse facultatem eligendi Rectores, §. 2. & seq. Qui certas causas Scholarium cognoscat, §. 4. Et vnà cum alijs Officialibus d. Vniuersitatis Statuta reformet, §. 5. Scholaribus licentiam gestandi arma concedit, § 9. Lectoresq; & Scholares eximit à Gabellis, & impositionibus §. 6. Priuilegia Studij Bononiensis concedit, §. 7. Collegijs Doctorum, & d. Vniuersitati, priuilegia Doctorum, & Vniuersitatis Studij Bononiensis elargitur, §. 8. Executores deputat pro executione prædictorum, Quibuscumque non obstantibus, §. 9. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Gloriosum ne est huic Pontifici huiusce Generalis Studij rationem habere, & illud priuilegijs decorare?

RESP. Sic esse multis probat authoritatibus Chassan. in suo Cathalog. Glor. Mundi. p. 5. consid. 21. vbi in fine subdit, quòd Iudocus Clicthoueus iure inuehit contra Lutherum Studia, & Gymnasia reprobantem.

Schol. secundum.

Quæro. Si hoc Studium specialia generalis Studij non haberet, num Generale dici posset?

RESP. Posset, si generale reputatum fuisset à tali tempore, cuius initij memoria non extaret in contrarium, vt tenet glos. in Clem. 2. §. Nos autem, in verbo, generalibus, & ibid. Zabar. nu. 15. de Sepultur. Et tolerantia Principis tàm longo tempore vim habet concessionis, & reuocationis illius prohibitionis, quæ habetur in proœm. Digestorum. §. Hæc autem tria, vt innuit glos. iam cit.

Decet

XCV.

Edita Anno 1602. & 1604.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pag. 143. *Item*. Ad Romanum Pontificem, & infra pagina ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enunciat de anno 1600. Visitatores Apostolicos die 27. Aprilis decreuisse, quòd Fratres Ordinis B Mariæ de Monte Carmelo manutenerentur in quasi possessione præcedendi Fratribus Ordinis D. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum, §.1, & 2. Et Rotam Romanam de eodem Anno, die 10. Martij, etiam in petitorio, idem statuisse ad fauorem Carmelitarum, d §.2. Et hoc idem hic Pont. modò statuit, Fratresque de Mercede ad Processiones publicas, & funeralia accedere debere de voto Congregationis Sacrorum Rituum, §.3. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §.4 Executores deputat, §. 5. Obstantiaq; remouet, §.6. Et hanc diffinitionem vbique locorum seruari. esse declarat in constit. subseq. §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quæ potuit esse ratio, ob quam præcedentia Carmelitis data fuerit?

RESP. Quia Carmelitarum Ordo ab Honorio III. anno 1226. in eius constit. 8. de qua supra pag. 13. tom. 1. Fratrum verò de Mercede anno 1235. à Greg. IX. in eius constit. 9. de qua supra pag. 15. tom. 1. approbatus fuit. Et tempus approbationis Sedis Apostolicæ attenditur in materia præcedentiæ inter Regulares, vt aliàs à me accepisti. Et ita habetur in decis. Rotæ, de qua in §. 2. fit mentio, quæ firmata fuit coram Litta intitulata Oriolen. Præcedentiæ,

Schol. secundum.

Quæro. Decretum Congregationis Rituum, de quo hic in fine, quando emanauit,

RESP. Die 21. Augusti hoc eodem anno, quo Pont. iste postea prædictam edidit secundam constitutionem. Eiusque Decreti tenor hic subsequitur, videlicet: *In causa præcedentiæ inter fratres Carmelitanos, & Fratres Beatæ Mariæ de Mercede, audita relatione Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardin. de Monte, qui prius fecerat etiam verbum cum Sanctiss. D. N. Sacra Rituum Congregatio censuit, in omnibus locis Fratres Carmelitanos debere præcedere Fratribus de Mercede, iuxta dispositionem literarum Apostolicarum in forma Breuis expeditarum sub die 15. Nouembris 1602. & mentem eiusdem Sanctiss. D. N. Papa, & ita declarauit hac die 21. Augusti 1604.*

Alexander Card. Florentinus.

CXVI.

Edita Anno 1604.

EXpositum nobis nuper fuit, & infra pagina, 144. Bullarij.

COMPENDIVM.

Rectores Ecclesiarum Parochialium in Indijs eleemosynas duplo maiores ab his, qui in Ecclesijs Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia, quam qui in Parochialibus sepeliuntur, exigere cœperunt in præiudicium dicti Ordinis, qui propterea Papæ supplicarunt pro opportuna prouisione, §. 1. & 2. Qui ideò prohibet huiusmodi exactionem Quibuscumque non obstantibus, §.3. & 4. Fidemque transumptis huius decreti dari præcipit, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Quæ erit igitur hæc eleemosyna?

RESP. Ea, quam constituit Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. & Pius V. in constitut. 41. de qua supra pag. 46. tom. 2. Ita namque statuit Paul. V. infra in sua constitut. 47. §. 5. quæ post hanc editam Bullam ad Genitoris mei manus peruenit, ideoque per eum de mote hic non potuit indicari.

Schol. secundum.

Quæro. De quibus Indijs Cōstitutio ista intelligi debet?

RESP. De Occidentalibus, & Orientalibus, quia sic censuit Paul. V. in eadem Bulla 47.

XCVII.

Edita Anno 1603.

DOminici gregis diuina prouidentia, & infra, pagina. 144. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innouat Constitutionem 4. Pauli IIII. publicatam Romæ anno 1556. de qua supra pag. 138. tom. 1. Et neminem ex his, qui illi contrauenerunt, vllo ignorantiæ prætextu excusari, sed tamquàm relapsos in hæresim haberi, & propterea Curiæ sæculari tradi debere decernit, quibuscunque nō obstantibus, §.1. & seqq. Et ne de cætero eiusmodi ignorantia valeat allegari, in Vrbe eamdem constitutionem publicari, & deinde omnes arctare, ac si personaliter eis esset intimata, §. 3. Et potiori pro cautela præcipit omnibus Inquisitoribus, vt in earum Ciuitatibus, vbi degunt, & vbi illi non sunt, locorum Ordinarij d. publicationem curent, §.6. Et huius Bullæ exemplis plenè credatur, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Erat ergo dubium, an Constitutio Pauli IV. de qua hic in principio publicata Romæ omnes alios vbique extra Prouinciam liget, vbi ea publicata non fuit?

RESP. Controuersa nimis videtur hæc apud DD. quæstio. Siquidem negatiuam communem esse scripsit Alexan. cons. 51. lib. 7. sub num. 1. Anchar. Regiens. quæst. 59. lib. 2. num. 3. Osasc. decis. Pedem. 141. num. 2. quam veriorem, & magis communem, & veram appellat. Bursat. cons. 200. lib. 2. num. 105. & lib. 2. cons. 255. num 3. Affirmatiuam autem magis communem affirmat Nauar. cons. 1. de Constit. nu. 19. & Pati. in tract. de Resignat. benefic. lib. 11. quæst. 9. num. 6.

Schol. secundum.

Quæro. Quam ergo teneres opinionem?

RESP. In terminis dictæ Bullæ Pauli IIII. quæ erat in antiquiori Genitoris mei Bullario iam diu vbique peruulgato, affirmatiuæ sententiæ adhæreo, quam opinionem seruari. dicit Imola in cap. 2. de Constit. num. 7. & ibid. Mandos. in repet. num. 79. Franc. in reg. vltim. de Regul. iuris, in 6. num. 13. & Nauar. in loco citato. Sed in alia Bulla singulari in distantibus Prouinciis communiter ignoto contrarium dicerem, præsertim si ageretur de alia pœna, quàm nullitatis actus, prout aliàs tenuit Genitor meus tempore Farinacij Procuratoris Fiscalis in vna Perusina Gratiæ, vt ille meminit, sed non aperto ore loquitur in suo cons. 149. num. 3. & 4. vbi recenset DD. ferè omnes quos Genitor meus contra eum allegabat, excepto Molin. de Contract. disp. 395. sub num. 4.

XCVIII.

Edita Anno 1603.

CVm sicut accepimus, & infra pagina. 145. Bullarij.

COMPENDIVM.

Accepto quòd in locis Perualibus existentibus in Indijs Occidentalib. sub inuocatione Sanctissimi nominis IESV, Confraternitates nonnullæ canonicè fuerunt institutæ, & instituuntur, ad hoc, vt maiora in dies suscipiant incrementa, ad supplicationem Episcoporum Regni Perù, dictam Confraternitatem intrantibus, aut in die Circumcisionis Domini illius Altaria visitantibus plenariam Indulgentiam perpetuò elargitur, §. 1. & 2. Eisdem alia pia opera exercentibus, alias Indulgentias concedit, §. 3. Non Confratribus verò alias itidem ad viginti annos relaxat, §. 5. & seq.

Schol. primum.

Quæro. Nunquid Confratres volentes ingredi Confraternitatem debeant personaliter adire loca, vbi sunt Fratres ad scribendum deputati?

RESP. Dubitaui de hoc Nauarr. dum in Confraternitate Rosarij se scribi fecit, sed tandem id licere affirmat, eo quod nulla lege diuina, naturali, positiua, aut alia lege prohibitum est in Miscellan. de Oration. sub num. 23. vers. Dubitaui secundo.

Schol. secundum.

Quæro. Si Confraternitas statueret, ne quis eam intret, nisi certum quid sibi persoluat, valeret ne?

RESP. Valeret, si in pios vsus cessurum esset, secus si in profanos, vt subdit Nauarr. vbi supra vers. Dubitaui tertio, & conuenit dispoſit. Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 14.

XCIX.

Edita Anno 1603.

QVoniam ad institutum, & infra, pag. 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordinarijs locorum prohibet licentiam concedere cuicumque etiam Mendicantium Ordini, nouos Conuentus erigere, nisi vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa cognita sine aliorum detrimento, commode sustentari posse, §. 1. Appellationem etiam suspensiuam ab eorum sententijs ad Sedem Apostolicam concedit, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. An ista prohibitio intelligatur etiam de mutatione Conuentus, de vno loco ad aliud in eadem Ciuitate?

RESP. Negatiuè respondet Roder. de Quæst. Regular. quæst. 49. art. 9. vbi sic refert tenuisse Gemin. & Baptistam de Sanis. Ab eo tamen discedere cogor, quia Bonifac. VIII. in cap. 1. de Excess. Prælator. prohibet etiam eiusmodi mutationem, militatque eadem ratio, quæ fuit motiua in hac Constitutione, nempè detrimenti, quod alijs Regularibus eiusmodi mutatio esse potest, cum notum sit frequentiores eleemosynas impartiri Religiosis, ad quos ob loci amœnitatem, aut aeris salubritatem, vel aliam, Populi confluit multitudo. Quod Gemin. sentit in d. cap. 1. num. 3. & Ioan. Andr. ibidem post princip.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si aliquis Ordo dimisit aliquem Conuentum, idest eius habitationem, an possit ad illum absque licentia redire?

RESP. Redire posse, scribit Roder. vbi supra, ea ratione ductus, quòd non possit dici Conuentus nouiter erectus. Sed ex identitate rationis contrarium verius puto, quia Conuentus hic non intelligitur, quoad materiam, vel fabricam, sed quoad Religiosorum in vnum cohabitationem, quæ proculdubio de nouo rediens, potest alijs Regularibus esse detrimento, in quo facit vim ista Constitutio.

C.

Edita Anno 1603.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 146. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hieronymus Matthæius S. R. E. Cardinalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia Protector, decreuit, ne quis illorum etiam Prælatus quicquam audeat amouere, occultare, auferre, aut secum deferre de Monasterijs concedendis Fratribus strictioris Obseruantiæ, aut eis ad id consilium, aut auxilium præstantibus sub pœna priuationis Officiorum, & dignitatum Ordinis, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, §. 1. & 2. Omnibusque Prouinciarum Ministris, & Commissarijs præcepit, vt eiusmodi Decretum publicari faciant, §. 2. Hic modò Pont. confirmat, omnesq; defectus supplet, & sub dictis pœnis obseruari, & in singulis Capitulis Prouincialibus publicari mandat, §. 3. Contraria aufert, §. 4. Et Transumptis huius Constit. credi iubet, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Hæc anathematizatio ligabit ne rem minimam ex dictis Conuentibus auferentem?

RESP. Videtur non ligare, nisi illa modica res sit maximum præiudicium allatura, vel animum alias quoque maioris valoris res furandi habuisset: his etenim casibus notabiliter peccat, & anathemate ligatur Sylnest. in sua Summa, in verbo, furtum, quæst. 12. num. 4. & 5. Molina de Contract. quæst. 4. in fine. Couar. Var. resolut. lib. 1. cap. 3. num. 12. Nauarr. in Manual. cap. 17. num. 4. & 5.

Schol. secundum.

Quæro. Modica res, quæ diceretur?

RESP. Arbitrio boni Viri, qui personarum, & rerum qualitate pensata, id poterit arbitrari, glos. in l. Sed, etsi susceperit 52. §. 1. in verbo, modica, ff. de Iud. Syluestr. & Couar. vbi supra, Franc. Marc. decis. 6. par. 2. num. 4. Graff. lib. 2. Suar. decis. par. 1. cap. 93. num. 27.

CI.

Edita Anno 1603.

ROmanum Pontificem decet, & infra, pagina 147. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia nonnulli temeratiè prætendere audebant Fratres Reformatos Discalceatos Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo non esse veros Carmelitas, neque vnum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Hic ideo Pont. contrarium determinat, §. 1. Et omnibus priuilegijs Ordinis gaudere decernit, §. 2. Contradicere præsumentes anathematis vinculo innodat d. §. 2. Quamcumque eius præeminentiam, ac prærogatiuam nullo modo, decursu temporis, aut alio præscriptionis modo facto perdere statuit, §. 3. Ad processiones generales compelli non posse diffinit, §. 4. Et ita, & non aliàs iudicari mandat, §. 5. Executoresque deputat, §. 6. Contraria remouet, §. 7. Transumptis etiam credi iubet, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Præscriptio, de qua in §. 3. si sit immemorabilis præiudicabit ne his Carmelitis?

RESP. Non, quia reprobatio præscriptionis est fundata in causa, quæ perpetuò durat, nempè, vt Carmelitæ possint sine præiudicio præeminentiæ sui Ordinis, humilitatis esse æmulatores, vt legitur in textu d. §. sic tradit post alios Gabr. de Præscript. conclus. 1. nu. 32. vbi videas de materia.

Schol. secundum.

Quæro. Prærogatiua, seu præcedentia huic Ordini num debetur, respectu aliorum Ordinum, attento tempore institutionis regulæ, vel tempore approbationis à Sede Apostolica obtentæ?

RESP. Approbationis tempus attendendum esse probat Collegium Bononiæ in cons. 1. post Consilia Zabarel. num. 20. Collegium Paduanum cons. 2. num. 71. & Collegium Ferrariæ cons. 356. num. 13.

CII.

Edita Anno 1603.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pag. 148. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IIII. Hospitale, & Militiam S. Lazari sub Beati Petri, Sedisq; Apost. protectione in sua const. 95. de qua supra pag. 28. tom. 2. reduxit, §. 1. Eorumque priuilegia ibidem confirmauit, §. 2. Indultum retinen. pensionem scutorum 500. singulis eorum concessit, §. 3. Pius V. in sua

sua constit. 18. de qua supra pag. 41. tom. 2. reformatur, §. 4. Et in alia eius constit. 78. de qua supra pag. 57. tom. 2. generaliter reuocauit, §. 5. Gregorius XIII. Militiam S. Mauritij in eius const. 6. de qua supra pagina 80. tom. 2. in loco à Duce Sabaudiæ deputan. instituit, & illum M. Magistrum illius creauit, §. 6. Eique dictam Militiam, & Hospitale S. Lazari vniuit, §. 7. Et quædam loca in d. vnione reseruata suppressit, & dispositioni Sedis Apostolicæ reseruauit, §. 8. Ex hac vnione magnum euenit incrementum, maiusque speratur §. 9. Hic modò Pont. omnia priuilegia approbat saluis modificationibus infra dicendis, & alijs contentis in d. constit. Pij V. §. 10. Eiusdem Pij reuocationes, & Gregorij XIII. suppressionē de locis in Hispania existen. irritat, & cum vacauerit dictæ Militiæ SS. Mauritij, & Lazari restituit, §. 11. Vnionem supradictā approbat, §. 12. Indultum retinendi pensiones ad ducatos 400. reducit, §. 13. Clausulas huius Bullæ Præseruatiuas apponit, §. 14. Et clausulam sublata, &c. §. 15. Executores deputat, §. 16. contrarijsque derogat, §. 17. M. Magistrum duas triremes pro Sede Apostolica instructas tenere, obligatum declarat, §. 18. Transumptisq; huius constitut. credi iubet, §. 19.

Schol. primum.

Quæro. Cur putas sub denominatione S. Mauritij etiam fuisse eiusmodi Militiam?

RESP. Gloriosus fuit S. Mauritius Militum Magister pro Ecclesia, & Fide Christi cum socijs suis, vt scribit S. Gregorius, lib. 12. Epist. 21. & 23. relatis in capit. 17. caus. 23. quæst. 8. & in cap. seq. & tradit etiam Restaur. Castald. in suo Tract. de Imperat. quæst. 24.

Schol. secundum.

Quæro. Quis eius, Sociorumque præclara acta descripsit?

RESP. Sur. de Vit. SS. tom. 5. sub die 22. Septembris, qua S. R. Ecclesia eorundem gloriosi certaminis Festum piè recolit, vt eadem die notat Baron. in Martyrolog. vbi alios, qui de eisdem Martyribus scripserunt, commemorat, subditque Lanceam B. Mauritij in Ecclesia Cracouiensi asseruari ex Chron. de Reb. Polon. lib. 5.

CIII.

Edita Anno 1603.

Altissimi dispositione, & infra, pagina 151. Bullarij.

COMPENDIVM.

Duo Eremitoria vnum Eremi del Tardon. Cordouben. & alterum Vallis de Galleguillos Hispalen. diœcesis fundata à Mathæo de la Frate Toletanæ Diœcesis, qui vnà cum socijs Sanctorum Patrum in solitudinibus errantium imitatores facti, ad illa se receperunt, ibique deuotæ contemplationi dediti proprio labore victum parantes, pauperem vitam ducebant, asperis vestibus corpus domantes, & eleemosynas non petierunt, neque oblata receperūt, Gregor. XIII. in monasteria Sancti Basilij Magni erexerunt, §. 1. Et illa cum alio monasterio Sanctæ Mariæ de Ouiedo Giennen. diœcesis in vnam Prouinciam Sancti Basilij nuncupandam, necnon alijs monasterijs in Regnis Hispaniarum, in posterum construendis vniuerat, & sub futuri Abbatis generalis in Italia incorporauerat, §. 2. Sed exortis nonnullis postea perturbationibus hic Pont. eis sublatis ad Regularis obseruantiæ instituti Sancti Basilij præseruationem statuit, & declarauit, Institutum S. Basilij esse monachale, & non solum cum cæteris in tribus substantialibus votis conuenire, sed quædam peculiaria præcepta habere, quorum duo præcipua sunt, Alterum in Oratione, Alterum in manuum laboribus ad necessaria comparanda exercitio, §. 2. & seqq. Firmauitque in capitulo primo, quid seruandum sit circa vitam communem. In Secundo, circa numerum Monachorum. In Tertio, circa Orationem, & chorū. In Quarto, circa manuum laborem. In Quinto, circa esum carniū. In Sexto, circa vestimenta. In Septimo, circa visitationem eorum, quæ hoc possunt impedire institutum. In Octauo, circa situm, & fundationem Monasteriorum. In Nono, circa receptionem Nouitiorum. In Decimo, circa Constitutiones de cætero faciendas. Istarum Constitutionum obseruantiam districtè præcipit, §. 15. Executoresq; deputat, §. 16. & seqq. Abbatis generalis potestatem circa hos Monachos Reformatos declarat, §. 19. Quos specialem Procuratorem in Romana Curia habere posse decernit, §. 20. Alios in Hispanijs existentes monachos, has constitutiones non acceptantes, & ad illa duo Monasteria del Tardon, & Vallis de Galleguillos non accedentes in alijs locis cum distinctis Superioribus iuxta antiquum eorum viuendi modū, viuere indulget, sed Nouitios recipere vetat, §. 21. Et dicta duo monasteria tantum cum alijs ab eorum Monachis Reformatis denuo iuxta hanc reformationem fundandis, Nouitios recipere permittit, §. 22. Quibuscunque non obstan. §. 23.

Schol. primum.

Quæro. Hic Basilius cur Magnus nuncupatur?

RESP. Quia Athenis vna cum Gregorio Nazianzeno eius amicissimo, sæcularibus literis, deinde in Monasterio Sacris mirabiliter eruditus cum breui cursum fecit ad omnem doctrinæ, & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen inuenerit, vt habetur in 2. Nocturn. sui, quod Ecclesia recitat, officij in 4. lectione sub die 14. Iunij.

Schol. secundum.

Quæro. Quo tempore vita excessit?

RESP. Anno Domini 378. die 1. Ianuarij Gratiano Imperante, Ecclesia tamen festum agit d. die 14. Iunij, qua ad Episcopatum ordinatus fuit, teste Baron. post alios quos recenset in suo Martyrolog. ijsdem diebus 1. Ianuarij, & 14. Iunij.

CIV.

Ex iniuncto nobis, & infra, pagina 154. Bullarij.

Edita Anno 1603.

COMPENDIVM.

Statuit, Fratres Prædicatores Sancti Dominici cappam nigram, Fratres verò Eremitas S. Augustini Tunicam nigram, vbique locorum deferre debere, ad euitandum habitus vtriusque Ordinis confusionem. §. 1. & seqq. Controuersiam desuper ortam extinguit, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 6. Executores deputat, §. 7. Contraria remouet, §. 8. Transumptisque huius Bullæ credi mandat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Si ex his Fratribus, quis fiat Episcopus, vel Cardinalis poterit nè suæ habitum Religionis mutare?

RESPON. In suæ Religionis habitu perseuerare debet, & sic præter votum, quo se Deo astrinxit Religionis, in qua professus est, decus, & honorem seruat, atque testificatur cap. Clerici, 15. vbi Scribb. notant communiter de Vita, & honest. Clericor. & Oldrad. consil. 84. num. 13. & in addit.

Schol. secundum.

Quæro. Deferenti eiusmodi habitum, si extra Monasterium decedat, illud, aut eius consanguinei succedent?

RESP. Videntur consanguinei succedere, tanquam à iure vocati, nisi aliundè, quàm ex habitus delatione, defunctum constet illius Religionis esse professum, quia in grauibus præsumptio sumpta ex huiusmodi habitus delatione leuis est, & insufficiens, vt in simili quæst. de Clerico scripsit Tiraquell. de Præscription. lib. 6. præs. 76. num. 4. & seqq.

C V.

Edita Anno 1603.

EX debito pastoralis officij, & infra, pag. 155. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cum plurima Sanctimonialium Monasteria sub regimine Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, nonnulla habeant Missarum onera ex diuersis piorum dispositionibus, & legatis iniuncta, & dictæ Missæ à Fratribus celebrari soleant, hic Pont. iustis de causis dicta onera ad Ecclesias dictorum Fratrum transfert, §. 1. & 2. Sed quod legata remaneant Monialibus, à quib. nihil Fratres pro dictis Missis recipere possint, nisi id, quod ex loci consuetudine pro eleemosyna vnius, vel plurium Missarum dari solet, §. 3. Decernit, quòd pro Monialium seruitio in Monasterijs, in quibus numerum 80. excedunt Missæ duæ in ferialis, tres verò in diebus festiuis, & in Monasterijs, vbi minor 50. Monialium numerus existat Missa vna diebus ferialis, & in festiuis duæ a Fratribus prædictis celebrari debeant, §. 4. Prohibetq; alia de causa, quàm ad celebrandas dictas Missas, & tunc de licentia Superiorum Fratres ad illa monasteria accedere posse, §. 5. Monasteriaq; prædicta monialiũ occasione d. translationis ab Ordinarijs, vel alijs non molestari, § 6. Clausulas huius concessionis præseruatiuas subdit, §. 7. Executores deputat, §. 8. Contrarijsque derogat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Pro Missa ergo, de qua in §. 3. pecuniam recipere licet?

R E S P. Non pro Missa cap. Non satis 8. vbi Canon. communiter de Simon. quia non est pecunia æstimabile cap. Qui studet 11. caus. 1. quæst. 1. & tradit Nauar. in Manuali Confessor. capit. 23. num. 106. Sed pro labore licet Clar. in § Simonia num. 2. vt exinde Sacerdos se valeat sustentare, Et ideò Pontif. permittit recipi pro eleemosyna. Et ita potest intelligi illud S. Augustini. *Accipient mercedem laborum sustentationis à Populo, mercedem verò à Domino*, vt inquit Graff. lib. 2. par. 1. suarum decis. capit. 96. num. 35.

Schol. secundum.

Quæro. Num prohibitio, de qua in §. 5. intelligen. sit, quando fiunt exequiæ in Ecclesijs earum monialium, aut Missæ celebrantur per octauam?

R E S P. Sacra Cardin Congregatio super consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita hoc dubiũ negatiuè resoluit die 9. Augusti, vt liquet ex eius lectura decreti, quòd hic censui imprimendum.

SAnctissimus D. N. Clemens Diuina Prouidentia Papa VIII. per suas literas in forma Breuis die 8. Nouembris 1603. Pontificatus sui anno duodecimo datas, ex huius sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotijs, ac consultationibus Episcoporum, ac Regularium præpositæ voto quamplurima Missarum onera ab Ecclesijs Monasteriorum Monialium totius Italiæ, & præsertim Galliæ Cisalpinæ, sub cura, & regimine Fratrum Minorum de obseruantia existentium in Ecclesias eorundem Fratrum Apostolica sua auctoritate transtulit, necnon certum numerum Missarum in singulis eorundem Monasteriorum Ecclesijs celebrandum præscripsit, præcipiens sub priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis pœna, ne quis ex dictis Fratribus ad prædicta Monialium Monasteria, præterquam ad celebrandas Missas prædictas de superiorum licentia, & in diebus Festiuitatum Monasteriorum huiusmodi, vel tempore receptionis, & professionis nouitiarum, siue obitus alicuius Monialis pro funere, & officio, vt moris est, peragendo, vllo modo accedere auderet, quemadmodum in eisdem literis plenius continetur. Cum verò vti Superiores eiusdem Ordinis eidem congregationi nuper exposuerint in eisdem Ecclesijs Monialium existant nonnullæ sepulturæ, & capellæ, in quibus defuncti sepeliri solent, & ex testatorum voluntate anniuersaria, & exequiæ in die obitus, & per totam octauam celebrari consueuerunt, atque in posterum eiusmodi sepulturæ, & capellæ ex piorum legatis, cum pari onere extrui possint, opusque esse propterea videatur, ipsos Fratres ad ea pietatis officia præstanda ad dicta Monasteria accedere, & conuenire, eadem sacra Congregatio facto verbo cum eodem S. D. N. & de expresso ordine Suæ Sanctitatis declarauit, & declarat, eosdem Fratres, quando defunctorum corpora ad Ecclesias earundem Monialium deferri, & exequias, aut anniuersaria officia pro ijs, & Missas etiam per octauas celebrari contingit, ad easdem Monialium Ecclesias, & Monasteria de ipsorum superiorum licentia licitè, & absque pœnæ alicuius incursu accedere posse, dum tamen ea occasione tum temporis cum ipsis Monialibus non colloquantur. Firmis cæteroqui, & in suo robore permanentibus, quæ in dictis literis in forma Breuis statuta, & ordinata sunt. Romæ die 9. Augusti M. DC. IV.

ALEX. CARD. FLOR.

Berlingerius Gypsius Secret.

C V I.

Edita Anno 1563.

SAnctissimus D. N. Clemens, & infra, pagina 156. Bullarij.

COMPENDIVM.

Permittit Custodi Fratrum Minorum Sancti Francisci Strictioris Obseruantiæ, vt cum vnanimi duorum Guardianorum, & duorum Discretorum cuiuscunque Custodiæ voto, Nouitios ad habitum recipere possit, non obstantibus suæ Sanctitatis decretis, & cæteris alijs constitutionibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs, §. 1. Ita tamen, vt prius diligenter recipiendorum qualitates examinent iuxta Ordinis regulam, decreta, & constitutiones Apostolicas d. §. 1. Et Custos teneatur sub pęna priuationis vocis actiuæ, & passiuę in proximo capitulo, vel congregatione Custodiali singulis annis habenda referre, quos acceperit Nouitios, & eorundem qualitates, & in quibus monasterijs recepti commorentur, approbationemq; receptionis obtinere, aliàs prædicta omnia nulla esse, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Vnanimis consensus, de quo in §. 1. dicetur ne si solummodo vnus dissentiat?

R E S P. Affirmatiuè respondet Butr. in capit. 3. de Eo quod met. caus. num. 1. Sed contrarium, & rectius firmat ibid. Panormit. nom. 1. per illum text. idque benè probat text. in cap. 4. de Postulat. Prælator. & in cap. Vnanimiter 6. & ibi DD. eod. tit.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ fuot huius Pontificis decreta in §. 1. enunciata?

R E S P. Perlege in eius constitut. 83. de qua supra pagina 26.

C V I I.

Edita Anno 1603.

PRo nostro pastorali munere, & infra, pagina 156. Bullarij.

COMPENDIVM.

Si ex Congregatione Monachorum B. MARIAE Fulliens S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Monachi ad alium

Ordi-

Ordinem transirent, & iterum ad eam reciperentur, illius quietem facilè perturbarent, quia diuersam viuendi formam seruarunt, seu ex quo licentiosè vixerunt Papa statuit, in d. Congregatione professos ad aliam quamcunque Religionem etiam de Superiorum licentia transeuntes, nullatenus in hanc Congregationem recipi posse absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, §. 1. & 2. & Contraria quæcumque non obstare decernit, §. 3. Huiusque diplomatis transumptis credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Dicesne hanc prohibitionem comprehendere transitum ad arctiorem Ordinem?

RESP. Dicam, quia cum prohibitio fit in duabus rationibus fundata, licèt secunda cesset, sufficit tamen illa prima diuersitatis vitæ, quæ remanet, præsertim attenta illa alternatiua (seu) cuius natura est, quod vnum ex alternatis verificetur, & militet l. Si heredi plures 5. iuncta glos. vlt. ff. de Condit. instit. cum alijs allegatis à Roman. cons. 175. num. 1. Bald. cons. 110. lib. 1. num. 3. Aegid. cons. 2. nu. 7. & Mandell. cons. 254. num. 14.

Schol. secundum.

Quæro. Vtrum transitus de vna in aliam Religionem sit regulariter conueniens?

RESP. Non, nisi propter magnam necessitatem, & vtilitatem, alioquin multa exinde damna proueniunt. vt ex Abb. Nestorio, & D. Bernardo explicat Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 3. quæst. 52. artic. 1.

CVIII.

Edita Anno 1604.

CVm Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & infra, pagina 157. Bullarij.

COMPENDIVM.

Vnam, eamdemque obseruantiam celebrandi Missam collaudat in procem. Pius ideo V. in sua const. 106. de qua supra pag. 65. tom. 2. Missale reformauit, §. 1. Sed in nonnullis perperam immutatum videtur, §. 2. Hic Pont. suæ integritati restituit, & emendauit, §. 3. Idemque à Pio V. editum, & sic recognitum publicari iussit, §. 4. Romæ, & non alibi absque Inquisitorum, vel eis non extantibus, Ordinariorum licentia imprimi mandat, §. 5. Aliorum vsum interdicit, §. 6. Licentiatum prædictarum, vt dentur, formam præscribit, §. 7. Missalium iam impressorum vsum permittit, §. 8. Contrarijs derogat, §. 9. Transumptisque huius constitutionis credi decernit, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Si vna, eademque missandi commendanda est obseruantia, vt hic supra habetur in proemio, cur quandoque videmus missas post meridiem celebrari contra communem obseruantiam?

RESP. Quia illa non habet locum, si aliqua iusta subest causa post eam horam celebrandi, prout sic tàm de iure Canonico, quàm ex communi vsu id licere tradit post alios Nauarr. de Oration. & Hor. Canonic. cap. 21. num. 31. vbi subdit exemplū de eo, qui die festiuo iter faciens, & Missare non valens in loco, vnde exiuit, nec ante meridiem per uenire ad locum prandio destinatum, vtique potuit in eo postea Missare, vt ipse, suique socij præcepto audiendi Missam satisfacerent.

Schol. secundum.

Quæro. Cur Sacerdos quandoque Missam celebrat vno eius Ministro dumtaxat assistente, cum sæpius eum salutando dicat, *Dominus vobiscum*, quæ salutatio duos saltim adesse præsupponit, l. Vbi numerus 12. ff. de Testibus cum similibus. Prout, & de eiusdem Ministri verbis, *Habemus ad Dominum*, dicendum est?

RESP. Ex mente S. Thomæ 3. par. quæst. 3. artic. 5. ad 12. respondet Nauarr. & neruosè quidem de Oration. & Hor. Canonic. cap. 22. num. 87. Ministrum repræsentare personam totius Ecclesiæ; Et ideo ex persona sua pluraliter salutari, & pluraliter respondere.

CIX.

Edita Anno 1604.

QVoniam nemo, & infra, pagina 158. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratribus Ordinis Cruciferorum Prælaturas, & gradus Ordinis assequi intendentibus, fauentesque ad id à personis extra Ordinem, vel aliàs non legitimè eas procurantibus eorumque complicibus, & fautoribus pœnam inhabilitatis ad dignitates, & munera Ordinis, priuationisq; vocis actiuæ, & passiuæ imponit, §. 1. & seqq. Admittentibusque prædictos ad ea officia pœnam excommunicationis latæ sententiæ infligit, §. 4. Electionesq; eorumdem irritas decernit, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 6. Contrarijsque derogat, §. 7. Et hanc prohibitionem in Capitulo publicari, eiusque transumptis credi iubet. §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quid est quod à Paulo V. dicitur circa eiusmodi Fratrum ambitum nouissimè diffinitum?

RESP. Clementis constitutionem prædictam specialiter eius diplomate solummodo confirmauit die 3. Octobris 1615.

Schol. secundum.

Quæro. Num, & Milites Cruciferi extiterunt?

RESP. Cruciferorum familias, seu Crucesignatos, vt operam militarem in fidei causa præstarent, extinsse scribit Petr. Greg. Tholos. de Syntagm. iur. lib. 15. cap. 33. num. 4.

CX.

Edita Anno 1604.

QVoniam nostro pastorali, & infra pagina, 159. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Fratribus omnibus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo ad tribunalia sæcularia appellare quouis prætextu, aut ea quoquomodo adire, sed si se grauati prætendunt ad Priorem Generalem d. Ordinis, aut ad illius Protectorem in Romana Curia, vel ad Romanum pro tempore Pontificem recurrere permittit, §. 1. & 2. Contrauenientibus excommunicationis latæ sententiæ, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia, & vocis actiuæ, & passiuæ, eo ipso absque alia declaratione incurrendas pœnas imponit, d. § 2. Fautoribus, & Consultoribus easdem pœnas infligit, §. 3. Contraria tollit, §. 4. Huiusq; prohibitionis transumptis credi decernit, §. 5.

Schol primum.

Quæro. Consultor non secuto recursu incidet in has pœnas?

RESP. Non incurrit, quia seorsum à principali delinquente ponitur Caiet. in sua Summa in verbo Excommunicatio cap. 25. & Nauar in Manual. Confess. cap. 27. num. 51. versic. Adde, & in Comment. ad Bullam Gregor. XIII. de Dat. & recept. notab. 26. num. 43.

Schol. secundum.

Quæro. Quid de consultore, qui consilium reuocauit?

RESP. Idem, sed scias non sufficere simplicem reuocationem, sed necesse est, vt contrarium suadeat; non enim ille de facili consilium relinquet, quia iam sua interesse fuerat persuasum, Innocent. in cap. Ad audientiam 12. de Homicid. sub num. 3. & de communi testatur Soc. ibidem num. 317.

CXI.

Edita Anno 1604.

PAstoralis officij ratio, & infra, pagina 159. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit obuiando confusioni, & scandalis, quæ euenire possent, neminem in Italia gestare habitum externum, tàm in materia, quàm in forma similem ei quem gestant Fratres Eremitę Discalciati Reformati Ordinis Sancti Augustini, nisi Congregationis dd. Fratrum membrum actualiter existat, vel a Congregatione Galliæ, vel Hispaniæ pro negotijs gerendis huc aduenîat, §. 1. & 2. Excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnam ipso facto incurrendam, contrauenientibus imponit, d. §. 2. Et quòd habitu, & sandalis à dicta Congregatione priuari possint, & illa dictæ Congregationis vsui applicentur, §. 3. Executores deputat, §. 4. Professos in Cógregatione ista Discalceatorum, & in alia Prouincia, aut Congregatione Sancti Augustini, alterauè Religione, præterquàm Carthusianorum, recipi vetat, §. 5. Contraria remouet, §. 6. Transumptis credi iubet §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Cur in §. 3. Papa habitum, & sandalia contrauenientium applicat vsui dict. Congregationis, & non simpliciter ipsi Congregationi?

RESP. Vt quisque intelligat hos Discalceatos, nullam etiam in rebus eis necessarijs proprietatem, sed simplicem vsum facti tantùm habere, vt districtè in eorum Regulis, & Constitutionibus explicatur. Et conuenit dispositio Clem. Exiui de Verb. significat.

Schol. secundum.

Quæro. Cum transitus his Discalceatis Italiæ sit etiam ad aliam Prouinciam interdictus, est ne de Discalceatis Hispaniæ idem è conuerso dicen.?

RESP. Sic profecto, Siquidem Paul. V. hoc decreuit die 10. Martij 1615. Cuius hic Decreti videre poteris tenorem.

PAVLVS PAPA QVINTVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officij ratio postulat, vt Religionum maximè strictioris Obseruantiæ conseruationi, Religiosorum spirituali profectui, quantùm nobis ex alto conceditur opportunè consulamus. Motu itaque proprio, ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, districtè præcipiendo, mandamus, ne vllus Ordinis Sancti Augustini Reformatorum, seù Discalceatorum nuncupat. Congregationis Hispaniarum professor, tàm in Hispaniarum Regnis, quàm partibus Indiarum existens in aliqua alia Prouincia, aut Congregatione Sancti Augustini, aut cuiusuis alterius Religionis, præterquàm Carthusian rum absque nostra, & Sedis Apostolicæ, aut Superintendentis licentia recipiatur, & si receptus fuerit, statim prædictis Reformatis seu Discalceatis restituatur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & Sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Martij 1615. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CXII.

Edita Anno 1604.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 160. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Capitulo Prouinciali Fratrum Ordinis B. MARIÆ Redemptionis Captiuorum in Oppido de Oliuar Cæsaraugustanæ diœces. anno 1603. vigore literarum huius Pontif. Prouinciæ partitæ fuerunt, & nouæ institutæ, §. 1. Statutaque ibidem pro fœliciori Ordinis statu edita sunt, §. 2. Circa orationem pro Papa, & pro fidei augmento, §. 3. Interuentumque Commendatorum in Choro, & Orationibus, §. 4. Implementum legatorum piorum, §. 5. Missas pro Religiosis defunctis, § 6. Quodque Priuilegia contra Constitutiones non impetreotur, §. 7. Licentia exeundi extra Monasteria, & Ciuitates, vt concedenda sit, §. 8. Et pernoctatio io domibus sæcularium, §. 9. Nouitij, vt recipien. §. 10. Et io quibus docendi, §. 11. Dormitoriumque habeant separatum, §. 12. Fratres, vt ad Sacros ordines sint exponendi, §. 13. Malè promoti, vt puniendi, §. 14. Prælatus à Commenda quando abesse possit, §. 15. Qui ad Prælaturam exponendi, §. 16. Qui ad Magistratum assumendi, §. 17. Vocales vt priuentur. §. 18. Largitiones pro redemptione Captiuorum in alios vsus non conuertendæ, §. 19. Vestimenta contra Constitut. noo gestentur, §. 20. Alienationes hæreditatum, & Censuum impositiones, vt fiendæ, §. 21. Expensarum, & Computorum solidatio qualis, §. 22. Eleemosynæ Missarum quando è capsis extrahendæ, & ad aliud Monasterium transferendæ, §. 23. Prouinciali pro expensis suis, & socij, quid præstan. §. 24. Discedens è Monasterio quid secum deferre possit, §. 25. Commendator pecunias communis Capsæ, nec etiam mutuo petat, §. 26. Bona, de vna ad aliam Prouinciam non transferantur, §. 27. Bona Fratrum pertineant ad Monasterium, cuius sunt filij, §. 28. Disciplina communis fiat, §. 29. Commendatores negligentes denuo non eligantur, §. 30. Inter Redemptores Aragoniæ, & Valentiæ, nulla sit Superioritas, §. 31. Prior Barchinonæ, quis eligen. §. 32. Prouincialis Aragoniæ, vt eligen. §. 33. Subsequitur Papæ confirmatio, §. 37. & seq. Obseruarique præcipit, §. 38. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 40. Conseruatores, & Executores deputat, §. 41. Contrarijsque derogat, §. 42.

Schol. primum.

Quæro. Appellatione Prouinciæ, de qua hic sæpè agitur quid venit?

RESP. Secundum subiectam materiam eius nomen diuersimodè accipitur, vt fusè habes post alios apud Hieronym. de Monte in suo Tractatu de Finibus cap. 4. per totum.

Schol. secundum.

Quæro. Prouincialis huius Ordinis poterit ne Procuratorem à Conuentu legitimè constitutum reuocare?

RESP. Non, attento iure communi, siquidem nulla lege cauetur, quòd Procurator ab vno legitimo constitutus, ab altero possit reuocari, vt ad propositum nostrum consulendo censuit Nauarr. lib. 5. cons. 12. num. 4. de Elect. secundùm impressionem de anno 1597. Brixiæ.

CXIII.

Edita Anno 1604.

QVoniam nostro Pastorali, & infra, pagina 162. Bullarij.

COMPENDIVM.

Interdicit appellationem, & aditum ad sæcularia Tribunalia Fratribus Ordinis Sancti Augustini, sub pœna excommuoicationis latæ sententiæ, priuationis Officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia, ac vocis actiuæ, & passiuæ, eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis, §. 1. & 2. His, qui Grauari prætendunt ad Priorem generalem

dicti

d. Ordinis, seu illius in Rom. Curia Protectorem, aut Romanum Pontificem recursum permittit, §. 3. Fautoribusq; directè, vel indirectè, & Consultoribus eorum easdem infligit pœnas, §. 4. Quibuscumque non obstan. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Num recurrentis ad sæcularia Tribunalia indirectè fautor dicitur, qui potuit, & noluit obuiare?

R E S P. Sic puto, ponderando vim verbi *Indirectè*, iuncto cap. Qui potest 8. caus. 23. q. 3. & c. Quantæ 47. de Sent. excom. cum simili b. quæ citat Pegna in Director. Inquis. p. 2. comment. 78. vers. & isti, & Nauar. in Manual. Confess. c. 27. n. 78. vers. Immò.

Schol. secundum.

Quæro. Consultor autem quis dicetur?

R E S P. Qui suadet, monet, aut instigat, vt ad sæculare Tribunal recurratur l. In furti 51. §. consiliũ, & ibi Scribb. ff. de Furt. & tradit Socin. sen. in cap. Peruenit 17. de Sent. excomm. numer. 51. vers. duodecimo, Syluest. in verbo Excommunicatio, §. 6. num. 5. vers. quarto, Nauar. vbi supra num. 51.

C X I I I I.

Edita Anno 1604.

QVoniam nemo, & infra, pagina 163. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratribus Eremitis S. Augustini præcipit, ne extra Ordinem fauores perquirant ad obtinenda eius officia, gradus, & Prælaturas, nec illicitis vijs ad ea aspirent, §. 1. & 2. Contrauenientes, eorumque complices, ac fautores, inhabiles ad munera Religionis obtinenda declarat, obtentisq; voce actiua, & passiua priuat d. §. 2. Admittentes prædictos ad officia innodat excommunicationis latæ sententiæ pœna, §. 3. Electiones irritat, §. 4. Prædictorum preces etiam oretenus porrectas pro valida probatione ambitus sufficere decernit, §. 5. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 6. Contrarijs derogat, §. 7. Hanc Bullam in Capitulis legi iubet, §. 8. Eiusq; transumptis credi, § 9.

Schol. primum.

Quæro. Fauere ambientibus in §. 2. prohibitum, quot modis fieri dicitur?

R E S P. Generatim, & speciatim: Generatim fauere est quacumque re, aut consilio, ratione uè alia aliquem iuuare, & sic omnis, qui Consilium, aut auxilium præstat fauere dicitur: Speciatim verò is dicitur, qui præter auxilium, & consilium alia ratione fauet, vt puta laudando, commendando, vel auctoritate fauendo, val assistendo, pecunias subministrando, & c. vt habetur in c. Mulieres, 6. §. 1. de Sent. excom. glos. & Scribb. in c. Quantæ 47. eod. tit.

Scholium secundum.

Quæro. Quid de eo, qui potuit obuiare, sed negligenter, aut ne alieno negocio se immisceret non obuiauit?

R E S P. Dubia quæstio est, in d. cap. Quantæ, Innoc. tamen ibi, cuius opinio communis appellatur à Socin. ibid. excusat hunc obuiare negligentem, si dolo caruisse constet, qui requiritur, vt in excommunicationem incidatur.

C X V.

Edita Anno 1604.

QVæcumque à Sede Apostolica, & infra, pag. 164. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pontifices plurimi diuersis Regularibus Ordinibus, sæcularibusq; Congregationibus Priuilegium erigendi, vel aggregandi huiusmodi Congregationes, concesserunt cum facultate, indulta, & gratias eis communicandi, §. 1. Et quia nonnullæ inde prauæ irrepserunt consuetudines, hic Pont. ad eas tollendas decernit, Officiales Ordinum Regularium vnam tantùm Congregationem singulis in eorum locis instituere posse, §. 2. Sæculariumq; Archiconfraternitates, vel Congregationes vnam pariter Confraternitatem aggregare. §. 3. Indulgentiasq; communicare nominatim eis concessas, & non alias, §. 4. Statuta verò Ordinũ, vel Congregationum instituentium, vel aggregantium, illis impartiri non posse, nisi prius ab Ordinarijs approbatę, §. 5. Forma super eiusmodi institutionibus, & aggregationibus iam præfinitam obseruari præcipit, §. 6. Aggregatæ autem, vel institutæ dictis Indulgentijs, & gratijs eis nominatim communicatis tunc vti possint cum ab Ordinarijs recognitæ fuerint, §. 7. Officiales Ordinum, & Confraternitatum, eleemosynas iuxta modum ab Ordinarijs præscribendum excipere, & exponere posse indulget, §. 8. Confessores vigore dd. Priuilegiorum eligendos ab Ordinarijs locorum, si sæculares, si verò sint regulares ab eijsdem Ordinarijs, eorumque Superioribus approbari debere decernit, §. 9. Institutiones, & aggregationes iam factas, sic renouari iubet, §. 10. Et gratis expediri, §. 11. Officialibus contrauenientibus pœnas imponit, §. 12. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 13. Contrarijs derogat, §. 14. Hanc constitutionē in Vrbe publicari, omnesq; ligare præcipit, §. 15. Et etiã ab Ordinarijs, §. 16. Illiusq; transumptis credi indulget, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. Quæ est forma aggregationum, quæ in §. 6. enunciatur pro diffinita?

R E S P. Hanc puto, quæ iam vsu ab omnibus recepta est Congregationibus. Illorum namque Officiales in exordio literarum aggregationis sic dicunt.

Dilectis nobis in Christo Confratribus Societatis N. in Ecclesia N. auctoritate N. Canonicè erectæ, Salutem in D. sempiternam.

NOs, qui iuxta Officij nostri debitum, fidelium Salutem, pietatisque, ac religionis progressum procurare debemus, libenter nostræ Archiconfraternitati, alias eiusdem instituti Confraternitates adiungimus, & aggregamus, illisq; sic aggregatis, Indulgentias, facultates, ac alias spirituales gratias, & indulta, iuxta facultatem nobis à Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum D. N. eiusdem Confraternitatis Procurator aggregationem huiusmodi, & Indulgentiarum communicationem enixè postulauerit, Nos Protector, Prior, & Custodes prædicti totam ipsam Archiconfraternitatem repræsentantes fel rec. Clementis Papæ VIII. constitutioni super huiusmodi Aggregationum, & cœlestis Ecclesiæ Thesauri communicationum moderationi nuper editæ inhærentes, his nostris literis solo Dei amore, ac pietatis, Religionisq; Christianæ augendæ zelo ducti, Confraternitatem prædictam Canonicè, vt superius, erectam, attentis Episcopi, seu Ordinarij loci consensu, ac literis testimonialibus, quibus eius institutum, pietas, ac Religio commendatur nostræ Archiconfraternitati (dummodo per Nos similis gratia prius alteri in dicto N. concessa, & tempore huiusmodi concessionis alij Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apostolicam nobis concessam adiungimus, & aggregamus, atque illi, eiusque Confratribus Indulgentias, & spirituales gratias infra sigillatim descriptas, nostræ Archiconfraternitati literis Pontificijs nominatim expressè, & precisè concessas largimur, & communicamus. Deinde inseritur tenor literarum Apostolicarum Pauli V. in quibus nominatim Indulgentiæ Congregationi, & Societati aggreganti concessæ sunt. Postmodum ijdē Officiales sic loquuntur. *Quibus omnibus Indulgentijs, & gratijs spiritualibus supra sigillatim descriptis prædicta Confraternitas, eiusque Confratres vti, potiri, ac gaudere possunt, iuxta Constitutionem fel. record. Clem. Papæ Octaui, tenoris sequentis*: Et ibi inseritur totus tenor huius Constitutionis Clemen. VIII. Et post sic dicunt ijdem Officiales; *Volentes, & decernentes præsentibus literis nostris eamdem fidem adhiberi fore, quæ præinsertis literis origina-*

ginalibus adhiberetur,si forent exhibita, vel ostensa.|In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium has literas nostras exinde fieri, & per nostra Archiconfraternitatis Secretarium subscribi, & publicari mandauimus, & Sigillorum ipsius Protectoris, & Archiconfraternitatis iussimus, & fecimus appensione muniri.

Dat. Romæ in loco solito nostræ Congregationis Anno, &c. Indictione, &c. Die, &c. Mense, &c. Pontif. &c. Præsentibus, &c.

Schol. secundum.

Quæro. Derogatio, de qua in §. 14. comprehendit ne Capitulum Ecclesiæ Lateranen, vel alia amplissimè priuilegiata?

RESP. Hoc dubium sustulit, & omnia Capitula eiusmodi comprehendere declarauit Paul. V. in const. 69. quam post eius Clementinæ impressionem edidit, ideoq; à Genitore meo in rubrica huius Bullæ indicari non potuit.

CXVI.

Edita Anno 1604.

Romanus Pontifex, & infra, pagina 166. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in sua const. 70. de qua supra pag. 104. to. 2. Ecclesiam Episcopalem Ciuitatis Bononiæ in Metropolim sublimauit, §. 1. Sed quia Clerus, & Communitas Ciuitatis Rauennæ recursum habuit ad Six. V. Gregorij Successorem, tamquam grauati, causa nonnullis Cardinalibus, inter quos iste Pont. tunc erat, sed re non diffinita Sixtus obijt, §. 2. Archiepiscopus ergo Rauennaten. & Episcopi Ariminensis, ac Ferrariensis alias prætentiones suscitarunt, quas hic Pont. extinguit d. §. 2. Ecclesiamq; Rauennaten. aduersus literas Gregorij, quoad Ecclesias Imolen. & Ceruien. restituit, §. 3. In cæteris eas approbat, omnesq; si qui sunt defectus supplet, §. 4. Bononiensemque Ecclesiam denuo in Metropolim erigit, §. 5. Eiusdem fines præfinit, §. 6. Clausulas huius constitutionis præseruatiuas apponit, §. 7. Clausulamq; Sublata, &c. §. 8. Contraria omnia repellit, §. 9. Formam publicationis præscribit, §. 10. Exemplis credi mandat, §. 11. Sanctionemq; pœnalem subijcit, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Dic amabò Archiepiscopus Bononiæ est ne, vt fertur, Comes, & Princeps?

RESP. Sic affirmat Io. Francis. Leon. Episcopus Thelesin. in suo tract. de Thesaur. for. Eccles. p. 2. c. 23. num. 40. & seq secundum impressionem de anno 1616. Romæ, ibi propterea subdit, quod in illa Curia, in qua Vicariatus officio functus erat, quamplures ciuiles Clericorum causæ tam actiuè, quàm passiuè cum laicis vertentes, cognitæ fuerunt, etiam si inter plures collitigantes vnus tantum Clericus esset, & quòd immemorabilis viget in hoc ibid. consuetudo contra reg. cap. si Clericus 5. & cap. cum sit generale 8. de Foro compet.

Schol. secundum.

Quæro. Est ne verum, quod absente Archidiacono, vel Archidiaconatu vacante iste Archiepiscopus, & Capitulum eius locum subintrat, & prouentus percipiunt?

RESP. Ioan. Calderin. in cons. 1. de Priuileg. nu. 1. in fine, hoc illis ius competere scripsit ex speciali indulto Honorij Papæ.

CXVII.

Edita Anno 1604.

Ex iniuncto nobis Apostolici, & infra pagina 169. Bullarij.

COMPENDIVM.

Orta est differentia super modo, quo Prior generalis Fratrum Eremitarum S. Augustini visitare possit Fratres, & loca Congregationis Lombardiæ, §. 1. Hic propterea Pont. declarat, quòd per se ipsum visitet simul cum vno ex Visitatoribus d. Congregationis, §. 2. & 3. Honoretur q; vt caput totius Ordinis, & omnis obedientia ei præstetur, §. 4. Visitareq; possit tàm loca, quàm personas d. Congregationis, §. 5. Visitator, aut Vicarius generalis assistat, & votum solummodo consultiuū habeat, §. 6. Examini Fratrum solus Prior ipse incumbat, §. 7. Assistentes Ordinis comitentur Priorem in d. visitatione, & absque eorum cōsilio Prior nil decernat, §. 8. Locum habeant Visitatores ante Vicarium generalem, & alios Prælatos Congregationis, §. 9. Prior per mensem ante Visitatori, quem ex Congregatione elegerit, vistationem denunciet, & eo non accedente, solus visitet, §. 10. Obseruantia prædictorum omnibus iniungitur, §. 11. Prior generalis deputatur executor, §. 12. Contraria omnia repelluntur, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Si Prior consilium Assistentium non caperet, vt mandat hic Papa in §. 8. quid agit?

RESP. Nihil agit, quoniam eorum consilium necessarium esse voluit Pont. & de forma decreti Prioris, vt ex Rofred. concludit Bald. in l. vnica C. Ne liceat 3. prouoc. nu. 8. vers. & dicto, & sequitur Pax Scala in suo Tract. de Consil. Sapient. c. 27. in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Forma, quæ indicatur pro præscripta in d. §. 8. vbi habetur.

RESP. In alia, quam idem Clemens addidit, constitutione, die 5. Iulij 1593. quam Genitor post huius impressionem habuit, & ideo illic inserere non potuit; Prout nec aliā de more indicare potuit Pauli V. declarationem tanquam nouissimè editam. Hanc autem statim habitam non prætermisit in Appendice in eiusdem Pauli const. 5. aliàs 93. vbi supradicti etiam Clementis intexuit diploma, ne quid necessarium omisisse videretur.

CXVIII.

Edita Anno 1605.

Cum sicut accepimus, & infra pagina 170. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concedit iurisdictionem eius Vicario in Vrbe cognoscendi, & decidendi omnes causas concernentes interesse Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, eiusq; personarum, §. 1. Appellari vetat, si Vicarius eas per se ipsum cognoscit, si verò per alium recursum ad eum tantum in causis appellabilibus permittit, §. 2. Alteri, quam Vicario has causas committi vetat, §. 3. Facultatem eidem tribuit in Curia, & extra citan. & inhiben. inobedienteśq; coercendi, §. 4. Testes ad veritatis testimonium perhiben. cogendi, §. 5. Sententias exequendi, §. 6. Expensas taxandi, & fructus liquidandi, § 7. Contradictores compescendi, §. 8. Remissorias dandi § 9 Notarium deputandi, §. 10. Singulis diebus, & horis, quando Hospitale est actor, procedēdi, §. 11. Per Cursores, & Mandatarios citandi, §. 12. Mandata sua non obstantibus aliorum Iudicum significationibus exequendi, §. 13. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, §. 14. Contrarijsq; derogat, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Clausula illa (*appellatione remota*) locum ne habet etiam in causa reuocationis?

RESP. Habet profectò ex tex. in c. 2. vbi glos. & Panormit. de Mut. petit. Franch. in c. Pastoralis 53. sub nu. 9. vers. Decimo operatur. de Appellat. Contard. in l. vnica. Cod. de Moment. possess. lim. 17. n. 5. & seq.

Schol. secundum.

Quæro. Illa facultas expensas taxandi, de qua in §. 7. porrigitur forsan ad expensas etiā corā alijs Iudicibus factas?

RESP. Negatiua sentētia Rotę placuisse videtur in dec. 44. de sen. & re iud. in Antiq. nisi in cōmissione dicatur omnes, & singulas expēsas, vt sentit Vestr. in Prax. Rom. Cur. lib. 8. c. fio. sub n. 15. & Marches. de Commis. p. 1. §. 1. n. 105. in vltimò impressis. Quod intellige in Iudicibus Commissarijs, vt illi loquuntur; Eorum namq; iurisdictio à verbis Cōmissionis pēdet, & strictè est intelligē. vt alias tibi dixi.

PAV-

PAVLVS V. Romanus, creatus Anno 1605.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1605.

QVod in omni vita summis votis, & infra pagina 173. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, quòd ad Summi Apostolatus apicem euectus, ope indiget Omnipotentis Dei ad rectè eius Ecclesiam regendam, necessitatibus præsertim præsentis temporis vrgentibus in proœm. Iubileum itaque, ideſt Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam elargitur, omnibus Christi fidelibus, certa hic præscripta forma orantibus ad diuinam opem, pro salutari Pontificis in regenda vniuersali Ecclesia implorandam, necnon pro Catholicæ fidei propagatione, Hæreticorum erroribus auulsione, & Hungariæ Regni à Turcarum armis defensione, ac tranquillitatis restitutione, §. 1. 2. & 3. Istamq; mandat Constitutionem publicari, §. 4. Derogat omnibus contrarijs, §. 5. Transumptis eiusdē credi iubet, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Hæc Indulgentiarum elargitio, & peccatorum remissio, extendit se ad peccata futura post Bullam?

RESP. Ardua est quæstio, quam affirmatiuè post hinc inde rationes plurimas deductas, fulsit Nauar. in Cōment. de Iubil. & Indulgent. notab. 34. sub num. 4. vbi videas.

Schol. secundum.

Quæro. Peccans concepta spe consequendæ huiusmodi Indulgentiæ poterit ne eam consequi?

RESP. Poterit quidem, secundùm sententiam Nauar. vbi supra num. 6. quæst. 3. vbi tamen id limitat, cum in Bulla concessionis Indulgentiarum diceretur. *Ne spe illarum peccantes*, & cęt. & in conf. 10. incip. Quæritur, num. 3. de Priuileg. lib. 5. sequitur Graff. suarum Decis. lib. 1. par. 1. cap. 13. num. 59.

II.

Edita Anno 1605.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra, pagina 175. Bullarij.

COMPENDIVM.

Abbreuiatores literarum Apostolicarum de Parco maiori, qui in concessionibus gratiarum, dilucidandis, interpretandisq; egregiam operam præstant, hic Pont. Vtriusq; Signaturæ Romani Pontificis Referendarios, eo ipso creatos esse statuit, §. 1. & 2. Priuilegiaque Referendariorum eis communicat, §. 3. Vni ex eis in d. Signatura locum assignat, §. 4. Portionem panis eis singulis concedit, §. 5. Contraria non obstare decernit, § 9.

Schol. primum.

Quæro. Si Papa generaliter locutus fuisset de Abbreuiatoribus, comprehendisset etiam illos de Parco minori?

RESP. Comprehendisset ex regula I. Semper generalibus 190. ff. de Regul. iur. Præsertim cum omnes faciant vnum Collegium, & vnam massam, ita de eis dixit in simili casu Rota in decis. Put. 234. lib. 1. in nouiter impressis, & Mandos. in 1. Regul. Cancell. quæst. vltima.

Schol. secundum.

Quæro. Abbreuiatorum maioris Parci munus, & etiam minoris quale est?

RESP. Longo sermone explicat Vestr. in sua Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 4. num. 2. & seq. & postremò Petrus Gregor. Tholos. super Decretal. in tit. de Rescript. lib. 1. num. 5. & 6.

III.

Edita Anno 1605.

ROmanum decet Pontificem, & infra pagina 177. Bullarij.

COMPENDIVM.

Volens Conclauistis, qui huic Pontifici, & S. R. E. Cardinalibus in Conclaue, in quo ipse ad Apostolatus apicem assumptus fuit inseruiendo, interfuerunt, prærogatiuis decorare, nummum aureorum decem millia donat, §. 1. & 2. Priuilegio Nobilitatis, Ciuilitatis, ac familiaritatis munit, §. 3. Remittit fructus beneficiorum malè perceptos ob non recitationem horarum canonicarum, §. 4. Legitimat eosdem, & habilitat ad successiones, & dignitates, §. 5. Applicat eis beneficia Sede vacante vacata, §. 6. Irritat collationes de eis in alios factas, §. 7. Literas Apostolicas gratias pro eis expediri iubet, §. 8. Indulta quoad pēsiones tribuit, §. 9. Spoliaque, §. 10. Executores huius Bullæ deputat, §. 11. Et in Camera non registrari indulget, §. 12. Clausulas huius concessionis præseruatiuas apponit, §. 13. Sic, & non aliter iudicari præcipit, §. 14. Officialibus gratis literas Apostolicas pro illis expedire iubet, §. 15. Contrarijs omnibus derogat, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Sede vacante nonne sunt expiratæ regulæ reseruatoriæ, & in illis possunt Ordinarij liberè conferre?

RESP. Expiratas esse probat Sarnen. in proœm. Regul Cancell. quæst. 2. num. 2. & dixit Rota in decis. Caputaq; 214. lib. 2. num. 5. cum alijs congestis per Gonzal. super 8. Regul. Cancell. in proœm. num. 46. & seqq. pagina mihi 43.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi collatio beneficiorum, de qua in §. 6. comprehendit beneficia Sede vacante nouiter instituta?

RESP. Comprehendere dici potest ex his, quæ fusè scribit Gonzal. vbi supra glos. 9. §. 5. num. 44. & seqq. pagina mihi 310.

IIII.

Edita Anno 1605.

DEcet Romanum Pontificem, & infra, pagina 179. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordini Fratrum B. MARIÆ de Monte Carmelo Sedes Apostolica indulsit, eius Monasteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad solutionem quartæ funeralium, & Concil. Triden. idem decreuit, §. 1. Congregatio Cardinalium idem esse censuit de alijs Monasterijs, si eius sint Religionis, cui Sedes Apostolica ante annos 40. indulsit non teneri ad huiusmodi quartam, §. 2. Papa id approbat, §. 3. Obseruariq; præcipit, §. 4. Et non aliter iudicari mandat, §. 5. Executores huius constitutionis deputat, §. 6. Contrarijs derogat, §. 7. Eiusque transumptis credi iubet, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quid est quarta funeralium?

RESP. Certa portio, quæ debetur ab Ecclesijs horum Fratrum, vbi aliquis sepelitur de omnibus, quæ eis obueniunt ratione funeris, & in die funeris text. est, & ibi glos. & Canon. declarant in clem. 2. §. Verum de Sepultur. & Roderic. de Quæstion. Regul. tom. 1. quæst. 39. art. 2. in princ. & in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Iudoltum huius Ordinis, quod enunciatur, sed non indicatur in hac Bulla, vbi habere possem?

RESP. Indultum à Nicolao V. elargitur huic Ordini transcribit Roder. vbi supra, illudque amplissimum appellat, Et ibidem transtulit etiam verba decreti Congregationis Cardinalium in hac Bulla enunciati.

Ex

V.

Edita Anno 1605.

EX iniuncto nobis Pastoralis, & infra pagina, 180. Bullarij.

COMPENDIVM.

Maior pars Ecclesiarum Parochialium Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum constat ex Commendis Militiarum Sancti Iacobi de Spata, & Sancti Benedicti de Auis, illæque per Presbyteros dictarum Militiarum professos à Rege Hispaniarum, earum perpetuo administratore præsentandos, & ab Ordinarijs locorum instituendos, gubernari solent, §. 1. Earum multæ Collegialiter etiam deseruiri consueuerunt, quòd non sine magno idoneorum ministrorum numero fieri valet, §. 2. Et licèt multi studijs incumbant, maiori tamen numero indigent, §. 3. Rex itaque aliud Collegium in vniuersitate Colimbrien. erigi voluit pro dictis Religiosis, reseruato Pontificis beneplacito, §. 4. Redditusque assignauit, §. 5. Papa igitur d. Collegium instituit, §. 6. Collegiales iuxta regulas suorum Ordinum, & alias pro Collegij regimine ab Ordinario loci approbandas regi, & per concursum ad beneficia admitti decernit, §. 7. Contribuentesque d. Collegio ab alijs contributionibus eximit, §. 8. Executores huius constitutionis deputat, §. 9. Contrariaque omnia remouet, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Hoc, vel aliud Collegium si cœptum esset, & non perfectum, haberetur ne pro perfecto, vt posset capere donationes Collegio factas?

R E S P. Posset, quia partus conceptus in his, per quæ producitur in esse, habetur pro nato, & eius priuilegijs gaudet l. penult. ff. de Stat. Homin. per quem text. sic censuit Rota in decis. antiquior. Bisignen. in tit. de Testam. decis. 1. num. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Deberetur legatum factum Collegio construendo, si adhuc locus ædificij non esset designatus?

R E S P. Fauore vltimæ voluntatis, & piæ non efficitur caducum, glos. communiter approbata in cap. 3. in verbo, in loco, de Testam. & post alios Couar. ibid. cap. 3. nu. 12. & M. Anton. Genuensis Episcopus Iserniæ de Practicab. Eccles. cap. 266. propè finem.

V I.

Edita Anno 1605.

CVm sicut accepimus, & infra, pagina. 182. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, quòd Capitulum generale Fratrum S. Francisci de Paula quolibet sexennio in futurum celebretur, cum infra triennium Ordinis visitario fieri non possit, eo quod valde propagatus est, §. 1. In eoque Corrector Generalis, eiusque Collegæ, & Procurator generalis ad sexennium eligantur. Et tantùm duret electio mox facta in Capitulo generali, §. 2. Alij autem Officiales Prouinciales, eorumque Collegæ ad triennium durent, Correctoresque Domorum ad annum, §. 3. Contrauenientibus pœnas imponit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. In hoc Capitulo generali de sola forsan Officialium electione agitur?

R E S P. Non, sed de omnibus agitur, quæ nedum Ordinis propagationem, sed etiam reformationem respiciūt, vt claré disponitur in Constitutionibus eius, & in cap. 1. Concil. Trident. sess. 25. de Regular.

Schol. secundum.

Quæro. Ex frequentiori Capitulorum celebratione, nonne maior esset vtilitas?

R E S P. Ita sanè, si celebrari infra triennium possent, sed in Religionibus admodum propagatis, vt est etiam Fratrum Minorum ante sexennium huiusmodi Capitula repeti non possunt, cum antea Ordinis visitatio compleri nequeat, vt de his omnibus scribit Roderic. de quæst. Regular. tom. 3. quæst. 47. art. 2. & 3.

VII.

Edita Anno 1605.

EX iniuncto nobis, & infra, pagina 183. Bullarij.

COMPENDIVM.

FRANCISCVS MARIA Vrbini Dux, ob speciales vt creditur, gratias intercessione S. V B A L D I Episcopi Fugubini à Deo susceptas, & Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium Ordinis S. Augustini, cuius professor ille fuit, supplicarunt Papæ pro repositione Festiuitatis dicti S. Vbaldi moltis miraculis, præsertim in liberandis à Dæmone obsessis clari, in Kalendarium Romanum ad diem 16. Maij, §. 1. Et Pontifex sic eam restituit, & ea die ab omnibus de eodem S. Vbaldo Pontifice, & Cōfessore commemorationem, tamquàm de festo simplici in vniuerso Orbe fieri præcipitur, §. 2. Contrarijs derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid speciale habes de liberatione obsessorum, de qua in §. 1.?

R E S P. Surius in vita huius Sancti sub die 16. Maij tom. 3. iuxta 2. impressionem, scribit, quòd in delatione corporis huius Sancti ad Ecclesiam, Dæmones ex obsessis fugere cœperunt. Et in tertia Lectione eius Officij in Breuiario Romano sub dicta die 16. habetur, quòd in effugandis spiritibus immundis eius præcipuè claret virtus. Quam etiam his temporibus splendere certissimum est.

Schol. secundum.

Quæro. Exemplum habes aliquod?

R E S P. Quamplura effugationis immundorum spirituum miracula perlegi in vetusto quodam codice manuscripto Theobaldi huius Sāci Vbaldi in Episcopatum successoris (vt eius dictabat inscriptio) apud Canonicos Regulares Lateranenses Monsterij Beatæ Mariæ de Pace in Vrbe asseruato, quæ tamen hic transcribere prolixum nimis visum fuit.

VIII.

Edita Anno 1605.

ALtitudo Diuinæ prouidentiæ, & infra, pagina. 183. *Item*, Superna dispositione, & infra, pag. 186. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hieronymus Mattheius S. R. E. Cardinalis Collegium in vrbe sub denominatione S. Hieronymi instituit pro pauperibus Scholaribus, sacræ paginæ, ac iuris Canonici studijs incumbentibus, annuumque subsidium assignauit §. 1. Eius regimen Cyriaco, & Asdrubali Fratribus, & Præposito Congregationis Regularium S. Pauli commisit, cum facultate opportuna Statuta condendi, §. 2. Rectoremq; deputandi, §. 3. Introitus administrandi, §. 4. Scholarium recipiendorum qualitates describit, § 5. Aetatemque, §. 6. Studium Sacræ paginæ, & iuris Canonici permittit, §. 7. Habitumque, §. 8. Tempus, quo retineri possint Scholares declarauit, §. 9. Bonorum, & redditum Collegij inuestituram, & augmentum præscripsit, §. 10. Prædicti hæredes domum pro erectione Collegij emerunt, annuumque redditum assignarunt, & Papæ pro confirmatione supplicant, §. 11. Qui Cardinali eius Vicario prædictorum executionem delegat, §. 12. Collegium à Superioritate, & iurisdictione quorumcumque Officialium, & cæt. eximit, §. 13. sub tutela Sedis Apostolicæ recipit, §. 14. Hæredes prædictos Collegij administratores constituit, §. 15. Collegio Priuilegia aliorum Vrbis Collegiorum communicat, §. 16. Hæredibus, & Præposito prædictis facultatem edendi Statuta concedit, §. 17. Præposito munus prædictum perpetuò iniungit, §. 18. Iuspatronatus dicti Collegij

legij ad dictos hæredes iuxta dispositionem Cardinalis spe ciate decernit, §.19. Cardinalis Vicarius super prædictis decretum interponit, §. 21. Idem Vicarius Iudex causarum dicti Collegij deputatur, §.26. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. An saltem in Camera possint hi Scholares studere Legibus, licèt in §.7. sit generaliter eis prohibitum?

RESP. Ex identitate rationis prohibitum puto: Ratio enim fuit, vt sacræ paginæ, & iuris Canonici studium amplietur; sed non per hoc quandoque leges perlegere interdictum credo, cum tata earum lectio studium non impediat, sed iuris Canonici intelligētiam aperiat ex his, quæ Hostien. Anchar. Zabar. Panormit. & alij notant in cap. fin. Ne Cleric. vel Monach.

Schol. secundum.

Quæro. Simplex erectio huiusmodi Collegij valida nè fuisset, absque Pontificis approbatione?

RESP. Eo ipso, quod Collegium instituitur ad bonū, vt istud, licitum censuit Bald. conf. 466. lib. 1. in princip. & latius Calder. in conf. 2. de His, quæ fiunt à Prælat. sub numero 2. per tex. in l. 1. ff. de Colleg. illicit. vers. Sed Religionis. Sed si his temporibus institueretur aliqua Confraternitas laicorum, seruanda erit constitutio 115. Clem. VIII. de qua supra fol. 37.

IX.

Edita Anno 1605.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra, pagina 187. Bullarij.

COMPENDIVM.

Concilium Tridentinum cap. 3. sess. 25. de Regular. & Clemens VIII. in sua constitut. 83. §. 33. supra pag. 26. edixerunt cuique Regularium Monasterio, cum assignatione numeri Religiosorum, qui vel proprijs eius redditibus, vel consuetis eleemosynis sustentari possent, §. 1. Hic Pontifex d. præceptum remissius iam executum innouat, & certa adhibita forma executioni mandari præcipit, §. 2. & 3. Superioribus locorum negligentibus, pœnas imponit, §. 4. Exemplis huius Bullæ credi, & Romæ publicatam omnes afficere decernit, §. 5. contrarijsque derogat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Numeri Religiosorum constitutionem cuinam demandauerat Concil. Trident.?

RESP. Nemini Concilium specificè demandasse vidi, sed à Pio IV. in eius constitut. 73. §. 3. de qua sup. pag. 22. tom. 2. conctis Ecclesiarum Prælatis iniuncta fuit obseruantia omnium decretorum Concilij.

Schol. secundum.

Quæro. In quo ergo circa executores differt hæc sanctio ab illis?

RESP. Ordinum Superioribus executio hic specificè iniungitur, & negligentibus pœna infligitur. An autem Episcopi possint concurrere cum illis, vide quæ habentur in de cis. Putei 238. per totam in Nouis.

X.

Edita Anno 1605.

AD Ecclesiæ militantis, & infra, pag. 188. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Carmelitæ discalceati multum proficiunt, §. 1. Et Clemens VIII. in eius constitut. 99. de qua supra pag. 32. iussit Ordinarios non debere permittere nouorum locorū ędificationem non vocatis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, §. 2. Hic Pontif. his Fratribus indulget, vt Ordinariorum tantummodo licētia eis sufficiat, d. §. 1. Quibuscuoque non obstantibus, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid si hi Fratres hoc Priuilegio non vtantur per decennium?

RESP. Non amittunt, quia Priuilegium est facultatiuum glos. & communiter alij in capit. Vt Priuilegia 24. de Priuileg. tenet Mandos. in tract. de Priuileg. ad instar glos. 15. ou. 14. vbi altos citat, & in puncto eiusmodi Priuilegij Roder. de Quæst. Regular. tom. 2. quæst. 49. art. 8.

Scholium secundum.

Quæro. Dicas amabò, cur potius in Ecclesia istorū Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, quæ est Romæ (sub nomine B. MARIAE Virginis de Scala) in Regione Trāstyberina, Genitor tous Sacellum summæ pietatis, & deuotionis specimen, & argumentum construxit, quam in alia Ecclesia Clericorum sæcularium, vt aliàs (sic mihi dictum fuit) intendebat?

RESP. Quia orationes eiusmodi Regularium præsertim Reformatorum cæteris paribus Deo sunt magis acceptæ, quàm sæcularium, cum eorum Status sit in via perfectionis per ea, quæ post D. Thomam scribit Nauar. cōs. 52. lib. 3. de Regularib. secundum impressionem Brixiæ, & sequitur, licèt aliter illum citet, Roderic. de Quæst. Regular. to. 2. quæst. 49. art. 2.

XI.

Edita Anno 1605.

IN maximis rerum difficultatibus, & infra, pagina 188. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innouat Prędecessorum constitutiones super reuocatione exemptionum à solutione onerum cameralium editas, §. 1. & 2. Easdem iterum reuocat, §. 2. Necnon concessiones factas de pœnis maleficiorum, & alijs Cameræ redditibus, §. 3. & seq. Præseruat autem exemptiones de iure competentes, §. 8. Legatisque, & Gubernatoribus concessas, §. 9. Vel ex causa onerosa datas, §. 10. Vel ratione Appaltuum, §. 11. Vel S.R.E. Cardinalibus, aut Cameralibus, & Curialibus competentes, §. 12. Vel ob numerum duodecim filiorum, §. 13. Legatis, & Gubernatoribus obseruantiam constu. 93. Sixti V. de qua supra pagina 138. tom. 2. iniungit, §. 14. Officialibus admissionem aliarum exemptionum interdicit, §. 15. Executores huius Bullæ deputat, §. 16. contrarijs derogat, §. 17.

Schol. primum.

Quæro. In numero duodecim filiorum, de quo in §. 13. computabitur bastardus?

RESP. Non, vt voluit Bald. in l. 2. per illum text. ff. de Excusat. tutor. nu. 7. Paleott. de Noth. & Spur. capit. 32. num. 4. Alex. in l. ex facto 17. §. 1. ff. ad 1 rebell. num. 28. cum alijs citatis à Petro Garz. decis. 8.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Pater hunc numerum filiorum Officiali non denunciat?

RESP. Non propterea priuilegio vti nequit Ferrer. in tract. de Gabell. num. 172. Bertacchin. de Gabell. par. 9. numer. 32. in fine, Horat. Lut. de Priuileg. Scholar. in priuil. 55. & de communi testatur Amat. decis. 35. ou. 4. & 10.

XII.

Edita Anno 1606.

INter grauissimas curas, quas pro nostro munere, & infra, pagina 190. *Item*, Pro peculiari, & infra, pagina 129. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Piū IV. cōtra extrahētes frumenta de Statu Ecclesiast. in eius cōst. 99. de qua sup. pag. 30. t. 2. legē edixisse, §. 1. Et

Et Pium V. eam innouasse,& ampliasse in sua constit. 108. de qua sup. pag. 66. to. 2. §. 2. Et Gregorium xiij. eas quoque ampliasse in Bulla 50. de qua supra pag. §. 3. Et Clementem VIII. easdem comprobasse in constit. 49. de qua supra pag. 95. eod. to. §. 4. Plerosque tamen subdit eis contrauenire, §. 5. Illas propterea innouat, & etiam pœnã excommunicationis contra extrahentes. §. 6. Indulta extrahendi omnia, præterquam ex causa verè onerosa solutionis pecuniarum, aut ratione appaltuum, seu locationum bonorum Cameræ concessa reuocat, §. 7. Dummodo ante vsum in Camera ea approbentur, §. 8. Formam vtendi indultis præscribit, §. 9. contrarijs derogat, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Quid si egò ex dominio Magni Ducis Hetruriæ granum Romam afferam, vt ad alium statum, quam Ecclesiasticum deferam?

RESP. Non intelligitur hæc Bulla, de extractione per transitum, de alieno dominio ad aliud; In eo namq; cessat ratio Bullæ secundum communem DD. sententiam, de qua testatur Iaf. in l. Cætera 45. §. sed, & si quis, ff. de legat. 1. num. 22. & sequitur Bertazol. conf. crim. 54. lib. 1. num. 8. post Alex. in conf. 86. lib. 4. num. 2. Caue tamen, & postula licentiam, ne de identitate grani disputare contingat, vel de intelligentia huius Bullæ, quia de consuetudine aliter seruatur, quàm prædicti DD. dicunt, vt dixit etiam Clar. quæst. 82. stat. 7. oum. 3. in fin.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si forensis sciat adesse prohibitionem extrahendi, ignorat tamen genus pœnæ?

RESP. Non excusatur ab ea, quia sat est, quòd attentet actum illicitum, & ratione delicti subijciatur foro loci delicti, vt post alios docet Couar. in capit. Alma Mater de Sent. excom. in 6. §. 10. num. 8. & seq. & tenet Caball. casu 229. lib. 1. num. 9. & seq. vbi latè.

XIII.

Edita Anno 1605.

Inter cætera, quæ Rom. Pont. & infra, pagina 193. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius V. edidit eius constitutionem 35. de qua supra pagina 44. t. 2. de non alienandis, & infeudandis locis S. R. E. §. 1. Successores omnes confirmarunt, §. 2. Innoc. viij. in sua const. 1. de qua sup. pag. 148. to. 2. illam ampliauit §. 3. Clemens viij. in sua constit. 1, de qua supra pag. comprobauit, §. 4. Hic modo Pontif. eas omnes confirmat, innouat, & perpetuò obseruari præcipit, §. 5. Sanctionem pœnalem addit, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Prohibita eiusmodi alienatione, nunquid compromissum quoque vetitum censeatur?

RESP. Vetitum videtur per tex. & glos. in capit. 3. de Arbitr. vbi id tenet etiam Panormit. num. 4. necnon Paris. consil. 134. lib. 4. num. 11. Lap. allegat. 102. numero 3. & Roman. conf. 369. num. 18. vbi Mandos. in apostill. alios allegat.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi prohibitiones ligant fortasse Papam successorem?

RESP. Successores omnes vsque ad hanc diem (vt notauit Genitor meus in hac rubr.) illas approbarunt, & sic quoad eos cessat quæstio; Quo vero ad futuros maxima est disputatio, vt scribit Tosch. in verbo Papa conclus. 58. num. 9. Ideo breui Scholio eam dilucidare non audeo; Poteris itaque vltra alios plerosque videre Tusch. in dicto verbo, Papa conclus. 50. num. 22. & seq. & in duabus conclusionibus subseqq.

XIIII.

Edita Anno 1606.

Pastoralis nostri muneris, & infra, pagina 193. Bullarij.

COMPENDIVM.

In diffinitorio Congregationis Canonicorum Regularium Lateranen. Vocales quinque eligi iubet, §. 1. & 2. Eorum quinque vota Diffinitorium nouum constituunt cum alijs quatuor Diffinitorij antiqui, §. 3. & 4. Abbatem generalem, vt exinde eligi debeat, decernit, §. 5. Procuratorem que generalem, §. 6. Diuisiones Monasteriorum inter quasdam Nationes factas reuocat, & Prælaturas Congregationis idoneis personis absque Nationum, & personarum distinctione concedi iubet, §. 7. Nouitij, qui & quot recipi debeant constituit, §. 8. Nouitiatus quosdam comprobat, §. 9. Abbas generalis in depositione sui officij in Procuratorem generalem, nec Procurator in Abbatem, nisi elapso trienio, post peractum officium eligi decernit, §. 10. Nullum ex Visitatoribus generalibus in Abbatem generalem pro sequenti immediatè triennio eligi iubet, §. 11. Obseruantiam prædictorum omnibus præcipit, §. 12. Contrarijs derogat, 13.

Schol. primum.

Quæro. Cum in §. 7. statuatur eligendos esse Prælatos idoneos, erit ne satis eligere idoneum, magis idoneo prætermisso?

RESP. Affirmatiuam sententiam veriorem, & magis communem probat Couar. in cap. Peccatum de Regul. iur. in 6. §. 7. sub num. 7.

Schol. secundum.

Quæro. Quamuis teneat hæc electio, elector erit à peccato immunis?

RESP. Mortaliter peccare statuit Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de Reformat. & scribit Couar. vbi supra, & Caiet. in sua Summa in verbo Electio in fine.

XV.

Edita Anno 1606.

Pastoralis nostri muneris, & infra, pagina 195. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. vniuit Congregationem Fratrum S. Ambrosij ad Nemus Mediolanen. & Congregationem Fratrum S. Barnabæ Prouinciarum Marchiæ & Ianuæ, §. 1. Hic Pontif. approbat Ordinationes pro earum prospero regimine editas, Necnon indulta dictis Congregationibus à Sede Apostolica concessa, quatenus sint in vsu, & Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non aduersentur, §. 2. Contraria cuncta remouet, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Illa clausula (*quatenus sint in vsu*) quid operatur?

RESP. Onus imponit probandi vsum ei, qui allegat, & hac Bulla vti velit, quia confirmatio est conditionalis Rota Bononien. in decis. Benint. 13. num. 10. Rota Romana, in decis. Robuster. 97. par. 1. Diuers. num. 2. & to decis. Seraphin. 775. ibidem num. 2. & coram Pegna in vna Amerina Successionis 24. Maij 1593.

Schol. secundum.

Quæro. Ergo per non vsum perditur hoc priuilegium confirmationis his Regularium Congregationibus concessum?

RESP. Non perditur per simplicem non vsum, quia personæ particulares Congregationum non possunt præiudicare Vniuersitatibus earum, nisi concurrat etiam præscriptio, vt post alios explicat Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæstio. 7. artic. 8. vbi Canonistas, & Iuristas allegat.

Reli-

XVI.

Edita Anno 1606. 1608. 1611.

REligiosos, & infra, pagina 195. *Item*, Sedis, & infra, pagina 197. *Item*, Ministerio Sacri, & infra, pag. 197. *Item*, Onerosa, & infra, pag. 198. Bullarij.

COMPENDIVM.

Religiosi Fratrum Iesuatorum S. HIERONYMI Sacris initiari non consueuerunt, & tempore Greg. xiij. qui promoti reperiebantur, suspensi fuerunt ab executione Sacrorum Ordinum, §. 1. Hic modo Pont. iustis de causis habilitat ascendere ad Sacros Ordines Fratres, vsque ad numerum centum, §. 2. Non ascendentes eisdem gradib cum promotis perfrui statuit, §. 3. Promotis decedentibus alios sufficì decernit, §. 4. Antistites à quibus promoueri possint designat, §. 5. Promotos ad recitationem Sacrarum Horarum obligat, §. 6. & seq. Missarum celebrationis modum præscribit, §. 8. Sæcularium Confessiones audire prohibet, §. 9. Aquarum destillationem Sacris initiatis vetat, §. 10. Omnibus eas mulieribus vendere, aut venales aquas habere interdicit, §. 11. Studiorum institutionem concedit, §. 12. In alia Cõstitutione habilitat alios vigintiquatuor Fratres ad Diaconatus, & Subdiaconatus Ordinem, §. 15. In Capitulo postea generali magis expedire visũ fuit omnes Fratres Horarum recitationi idoneos ad earum recitationem teneri, & supplicatur Papę pro huius Statuti cõfirmatione, §. 2. subseq. Const. Papa illud confirmat, §. 3. Idemque ipse statuit, §. 4. Ex his magnus in Religione progressus euenit, in §. 2. alterius subseq. Constit. Ad cuius fœliciorem progressum dat generalem habilitationem cunctis Fratrib. ad Sacros Ordines etiam Sacerdotales, §. 3. Contrarijsque derogat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Horæ Canonicæ, de quibus secunda Bulla hic posita in §. 1. Loquitur, cur sic appellatæ?

RESP. Quia certis Horis sunt deputatæ principales Ecclesiæ preces non autem ab orando, vt quidam asserebãt, ita post alios firmat Nauar. in 2. part. Decret. c. 3. de Orat. num. 26. vbi subdit Canonicas dici tanquàm inuentas à Canonibus, qui Græcis idem sunt, quod Latinis regulæ.

Schol. secundum.

Quæro. Si Religiosus pergere proficiscens, oblitus est domi Breuiarium, vel in itinere perdidit illud, excusabitur ab horarum recitatione?

RESP. Excusabitur vsquequo possit habere Breuiarinm, cum ad impossibile nemo teneatur Nauar. vbi supra cap. 11. num. 38.

XVII.

Edita Anno 1606.

INiuncti nobis Apostolici muneris, & infra, pagina 198, Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat quòd Gregorius xiij. aduertens Ordinem Monachorum S. Basilij alios Monachorum Ordines antiquitate præcedere, concessit eidem Priuilegia Congregationis Cassinensis Monachorum Sancti Benedicti, §. 1. & seq. Quodque Mensis Monachalibus, bona stabilia assignari iussit, §. 3. Eaque Mensa Conuentualis ab Abbatiali separaretur, d. §. 3. Refert Sixtum V. executorem dictæ separationis deputasse, §. 4. Clementemque alium elegisse §. 5. Confirmat hic Pont. eiusmodi separationes, §. 6. Et Priuilegia à Gregorio xiij. Sixto V, Clemen. viij. concessa, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quibus temporibus S. Basilius floruit?

RESP. Circa annum 383. floruisse scribit Petr. Gregor. par. 2. Syntagm. iur. lib. 15, de *Monachis* capit. 14. Sed antea floruisse dicendum est, cum anno 378. ex hac vita migrasset, ex Hieronymo, & Cassiodoro dicat Baron. in Martyrolog. sub die 1. Ianuarij, & Ciacon. de Vitis, & gest. Pontific. in Vita Damasi Papæ pagina mihi 102. propè finem.

Schol. secundum.

Quæro. Ante Basilium extabant Monachi?

RESP. Proculdubio, vt recenset ipsemet Petr. Greg. in loco citato.

XVIII.

Edita Anno 1606.

IN eminenti Apostolicæ dignitatis specula, & infra, pagina 199. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Sixtus Quartus in sua Constit. 8. supra pagina 71. tom. 1. & Iulius Tertius in Constit. 5. supra pag. 135. to. 1. ac Pius Quartus in constit. 19. supra pag. 6. tom. 2. Curialibus, & Incolis Vrbis facultatem de eorum bonis liberè disponendi concesserunt, sed non obseruatur, §. 1. Hic Pontifex dictis Curialibus, & Incolis, ac Romanis Ciuibus originarijs etiam Clericis, & Presbyteris beneficia obtinentibus, & in Vrbe, vel infra decem milliaria, non tamen extra residentiam, decedentibus de bonis, ac iuribus in d. Vrbe, & intra decem milliaria existentibus liberè disponendi Priuilegium elargitur, §. 2. Et si Ecclesiastici disponunt ad fauorem illegitimorum, ex eorum corpore non procreatorum, tunc venientes ab intestato succedant, quoad bona merè Laicalia, & patrimonialia in eius Vrbe, & eius districtu consistentia, §. 3. Curialibus autem Incolis, & Ciuibus ab intestato hæredes succedere decernit, §. 4. Officialibus iubet, vt eos non molestent, §. 5. Clausulam Sublata, & cæt. apponit, §. 6. Quæcunque contraria aufert, §. 7. Transumptis huius Bullæ credi mandat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Appellatione bonorum, & iurium in Vrbe consistentium, de quibus loquitur in §. 2. veniunt credita quorum extra Vrbem in aliqua alia Prouincia sit destinata solutio?

RESP. Hoc Priuilegium non se extendit ad einsmodi credita, quia illa dicuntur esse in loco destinatæ solutionis, ex doct. Bald. Angel. & aliorum in l. ex facto 35. §. rerum. ff. de Hæredibus instit. & Alex. in cons. 19. lib. 6. nu. 9. Tiraquell. de Retract. lignag. §. 36. glos. 3. num. 16. & in terminis huius Bullæ, Rota in decis. Seraphin. 352. num. 1. vbi de veriori, & magis recepta opinione testatur.

Schol. secundum.

Quæro. Vnde fit, quòd in pluribus Curiales priuilegiati reperiuntur à Summis Pontificibus?

RESP. Plerisque de causis iure id factum videtur, quas recenset Gonzal. super 8. Regul. Cancellar. glos. 4. numero 147. & seqq. vbi alios cumulat.

XIX.

Edita Anno 1606.

INcontinenti nobis Apostolici, & infra, pagina 201. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Congregatio Monachorum Cælestinorum Ordinis S. Benedicti vberrimos in Ecclesia Dei fructus prodit, omnes gratias, & priuilegia, & indulta spiritualia, & temporalia etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum alijs congregationibus, & Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium eidem congregationi Cælestinorum à Summis Pontificibus concessa hic Pontifex approbat, atque confirmat, quatenus decretis Concilij Tridentini, & regulis dictæ congregationis à Sede Apostolica approbatis non aduersentur, & reuocata non sint, §. 1. Abbatis generalis potestatem esse declarat

rat visitare quæcumque Monasteria in Italia, Gallia, & vbique locorum existentia, §. 2. Prohibetque his Monachis recursum extra ordinē ad Iudices, & particulares personas, §. 3. Absque Abbatis generalis præsentia Capitula habere non posse decernit. §. 4. clausulis præseruatiuis hanc Bullam munit, §. 5. Decretum irritans apponit, §. 6. Executorem eius deputat Aud. Cam. §. 7. contraria omnia submouet, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. In Gallia ergo multa extant huius congregationis Monasteria, vt in §. 1.

RESP. Pleraque sunt, sed eorum principalia decem, & nouem enumerantur in 2. tractat. constitutionem Cælestinor. cap. 1. in fine.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ agenda veniunt in Capitulis generalibus, de quibus in §. 4.?

RESP. Plenè hæc habes in cap. penult. & vlt. de Statu Monachor. & ibidem glossa, & Scribb. benè omnia explicant.

XX.

Edita Anno 1606.

ROmanum decem Pontificem, & infra pagina 202. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius xiv. in sua constit. 17. §. 14. de qua supra pagina 146. tom. 2. vetuit Clericis Regularibus congregationis ministrantiū infirmis ad alios Ordines præter Carthusianum transire. §. 1. Prætextu huius liberi transitus ad Carthusianos multi ad laxiores Ordines migrarunt, §. 2 Decernit itaque Pontifex iste, absque Sedis Apostolicæ licentia, nec ad Carthusianos transire posse, §. 3. & seqq. contrarijsque derogat, § 5.

Schol. primum.

Quæro. Alia, quàm d. Gregorij xiv. constitutione, licitus erat transitus ad Carthusianos ante legem istam?

RESP. Ex prima extrauag. Martini V. in tit. de Regular. habetur, hęc Ordinis Carthusianorum prærogatiua, quòd absque Sedis Apost. licentia Religiosi ad eum transire possent.

Schol. secundum.

Quæro. Erat ne saltum necessaria licentia Superioris Ordinis, à quo abire religiosus volebat?

RESP. Necessario debebat Licentiam ab eius Superiore petere, & ea petita licet non obtenta transitus ad arctiorem Ordinem zelo sanctioris vitæ licitus fuisset capit. Licet 18. de Regular. per quem text. sic firmat Rebuff. in Praxi Benefic. in tit. de Translat. Monachorum num. 5. & 6. apud quem vide optimas ad hoc declarationes.

XXI.

Edita Anno 1606.

ROmanus Pont. in B. Petri Sede Constitutus, & infra, pagina 202. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens viij. intentus ad tollendos abusus, tum in communicando Indulgentiarum thesauros, tum etiam in modo illos recipiendi exortos, morte præuētus non potuit deliberare quod cogitauerat, circa Indulgentias à Romanis Pontificibus elargitas Religionibus, Ordinibusq; Regularibus ad quod opus nonnullos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales deputauerat, §. 1. & seq. Hic Pontifex, qui tūc de eorum numero erat, illis Cardinalibus, vt opus perficerent, iniunxit, & rem secum postea communicarent, §. 2. Decreuerunt illi, auditis etiam Regularium Superioribus, & ex iudicio aliquorum ex eis, expediens esse Regularium omnes hactenus concessas reuocare, & alias particulares eis concedere, §. 3. Iste Pontifex modò omnibus Regularibus cuiuscunque Ordinis intra Claustra, vel extra, cum licentia suorum Superiorum degentibus, has concedit Indulgentias, § 4. Plenariam habitum suscipientibus vere Pœnitentibus, confessis, & Sacra Communione refectis elargitur, §. 5. Vel simili modo legitimè professionem emittentibus §. 6. Vel in Festo principali sui Ordinis confessis, & Sacra Communione refectis, vel Missam celebrantibus, & certo modo orantibus, §. 7. Vel in mortis articulo Confessis, & Sacra Communione refectis, aut si non potuerint, ore, vel corde nomen IESV deuotè inuocantibus, §. 8. Vel Missam priuatim celebrantibus, seu præuia confessione, & Communione illi interessentibus, Alijsque Religiosis ipso die Missam celebrantibus, §. 9. Vel spirituale exercitium contra hic præscripta forma facientibus, §. 10. Elargitur etiam alias Indulgentias in §. 11. & seqq. Indulgentias antea à Pontif. concessas reuocat, §. 19. contrarijsque derogat, §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Dubitauit hactenus quispiam de hac facultate reuocandi Indulgentias à suis Prædecessoribus elargitas?

RESP. Hanc potestatem certam esse, pluribus rationibus probat Nauarr. in cons. 1. Incipiente Leo X. de pœnit. lib. 5. quod scripsit etiam in suo Tract. de Iubil. & Indulgen. notab. 33 in verbo, personis Et pro certo tradit etiam Roderic. de Quæstionibus Regul. tom. 2. quæst. 98. art. 4. in princ.

Schol. secundum.

Quæro. Confessio, de qua hic, est forsan necessaria tempore lucrificiendi indulgentiam, si post vltimam confessionem ante fictam, nullum mortiferum peccatum admisit, neque de aliquo non detecto in confessione recordatus fuerit?

RESP. Non necessariam esse, frequenter respondit Nauar. vt ipse affirmat in suo tract. de Iubil. & Indulgent. notab. 18. num. 18. post glos. in extrauag. 1. de Pœnitent.

XXII.

DEcet Romanum Pontif. & infra, pag. 254. Bullarij.

Edita Anno 1606.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus in sua constitut. 118. de qua supra pagina 58 Iudicem delegit eius Vicarium ad cognitionem causarum Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe, §. 1. Hic Pont. approbat, §. 2. Declarat in causis spectantibus ad mensam Apostolicam, vel Magistros Viarum procuratorē d. Hospitalis posse in Iudicem eligere Camerarium, vel vnum ex Clericis dictæ Cameræ, §. 3. Et in causis obligationum in forma Cameræ eligere posse Aud. Cam. vel Vicarium Papæ. § 4. In alijs autem litibus decernit Vicariū Iudicem remanere priuatiuè quoad alios, §. 5. Etiā, & nō aliter iudicare mandat, §. 6. In causis coram alijs Iudicibus instructis Vicarium iudicare posse illorum firmis remanentibus Notarijs, §. 7. Iudices istaha toties, quoties opus fuerit, prorogare, & aduersus lapsum restituere posse concedit, §. 8. Quibuscunque non obstantibus, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Illa clausula (*toties, quoties opus fuerit fatalia prorogandi*) ad quot vices extenditur?

RESP. Ad duas secundum Mandos. in commiss. prorogationis fatal vers. toties, Vel ad tres secundum Marchesan. de commissionib. par. 2. cap. vlt. num. 7. & seqq. in impressione de anno 1604. Sed illi loquuntur in commissione Signaturæ Iustitiæ; hic autem Papa concedit ex gratia dictam facultatem, vnde ad vlteriores vices extendi verius videtur Alex. cons. 145. lib. 2. num. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Fatalia currunt à die sententiæ?

RESP. Non, sed à die appellationis clem. 3. de Appellat. Bald. in l. litigatoribus 14. C. de Appellat. num. 1. Felyn. in capit. Quoad consultationem 15. de Re iudic. num. 30. Scaccia de Appellat. lib. 3. c. 2. quæst. 15. nu. 164.

Sub-

Subdens num. 171. quòd ipsa dies interpositæ appellationis non computatur.

XXIII.

Edita Anno 1606. & 1607.

Diuina disponente clementia, & infra pagina 204. *Item*, In supereminentis Apostolicæ, & infra, pagina 206. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. Congregationem B. MARIÆ Fulien. Monachorum Ordinis Cistercien. Sancti Benedicti instituit in sua constitut. 32. de qua supra pag. 119. to. 2. & priuilegia concessit, §. 1. Clemens VIII. in sua constitut. 12. de qua supra pag. 4. illa ampliauit, §. 2. Hic Pontifex ea ampliat, §. 3. & 4. Et communicat priuilegia quorumcunque Ordinum Monasteriorum, §. 5. Illam eximit à superioritate Prælatorum Ordinis Cisterciensis, omniumq; Ordinariorum, & iudicum Ecclesiasticorum, §. 12. Congregationem hanc sub immediata protectione Sedis Apostolicæ recipit, §. 13. Eiusque Monachos à nemine suspendi, vel interdici iubet, aut coram alijs Iudicibus, nisi iuxta formam Concilij Tridentini trahi prohibet, §. 14. Perturbatoribus pœnas imponit, §. 15. Literas Martini V. & aliorum Pontt. circa exemptionem decimarum innouat, §. 16. Priuilegijs Ordinum Mendicantium vti posse indulget, §. 17. Executores huius constitu. deputat, §. 18. Contrarijsque derogat, §. 19. Transumptis quoque credi iubet, §. 20.

Schol. primum.

Quæro. Poterunt hi Monachi ab Episcopis cogi, vt in eorum Monasterijs Sacræ Theologiæ lectio habeatur, non obstante hac exemptione?

RESP. Crederem posse, quia id Episcopi, vti Sedis Apostolicæ delegati, agere possunt ex dispositione Concilij Tridentini sess. 5. cap. 1. de Refor. ex notatis à Quarant. in suo Compend. in V. Exemptio, vbi de alijs non absimilibus casibus meminit.

Schol. secundum.

Quæro. Susceptio sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, de qua in §. 13. quid operatur?

RESP. Quod non possint se submittere iurisdictioni Ordinariorum, Rota in decis. Seraphin. 595. num. 7. in Nouis.

XXIV.

Edita Anno 1606.

Maiestatis tuæ in nos, & infra, pagina 208. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statutis Militiarum IESV CHRISTI S. Iacobi de Spata, & Sancti Benedicti de Auis cauetur, Milites earum Commendas, & beneficia consequi non posse, nisi triennio in Aphrica cum duobus seruientibus contra Infideles militassent, §. 1. Philippus Hispaniarum Rex impetrat à Pontifice indulgeri satis esse Militibus quinquennio cum duabus seruientibus in quacunque eius Classe militare aduersus Infideles, aut Hæreticos, §. 2. & 3. Quibuscunque non obstantibus, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Militiæ, de qua in hoc opere nihil ferè peculiare habemus, quis institutionem, statum, atque progressum edocebit?

RESP. Nihil de ea scriptum perlegi vsque ad hanc diem, preter quoddam Promptuarium Fratris Fràcisci de Auelar. F. Emanueli Roderico directum: illud percurre, & notatu digna inuenies, Impressum habetur in fine tom. 1. eiusdem Roderic. de Quæst. Regular.

Schol. secundum.

Quæro. Ex §. 2. & 3. videtur ne arguendum, Infidelem, & Hæreticum differre inter se?

RESP. Ita sanè; Infidelis etenim propriè est qui numquam christianam agnouit, & suscepit fidem: Hæreticus autem propriè quià christiana fide per Baptismum suscepta, pertinaciter errat contra id, quod scit ab Ecclesia catholica pro fide teneri, licèt impropriè multis modis quis dicatur hæreticus, vt patet ex his quæ scripsit Host. in Sum. in titul. de Hæretic. §. Quis dicatur, Ambrof. de Vignat. de Hæres. quæst. 2. & Turrecrem. in cap. Caue 15. cauf. 28. quæst. 1. num. 2. & 3.

XXV.

Edita Anno 1606.

Inter omnes vitæ regularis Ordines, & infra, pagina 209. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat omnia priuilegia, & gratias Ordinis Beatæ MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum, §. 1. & 2. Congregationem Reformatorum eiusdem Ordinis comprobat cum eorum regulis, & Generali eos vbique corrigendi facultatem tribuit, §. 3. Eademq; Congregationem Generali, & Prælatis Ordinis totaliter supponit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Legata ad huiusmodi redemptionem Captiuorum proderunt ne ad subleuationem animæ Purgatorij?

RESP. Prodesse innuit text. in Auth. Vt cum de Appellat. cognoscit. §. 13. Si vnum, quem ad hoc allegat Illephons. Perez in suo tractat. de Anniuersar. & Cappellan. cap. 21. lib. 1. num. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi Religionum reformationes cur his temporibus tàm frequentes?

RESP. Prætermissis alijs rationibus illa mihi satisfacit, quòd Concilium Tridentinum eam præcepit in sessio. 25. cap. 1. de Regular. Et de ea nonnulla recenset scitu digna Roderic. de Quæst. Regular. in quæst. 73. artic. 1. per totum tom. 1.

XXVI.

Edita Anno 1606.

Romanus Pontifex ea interdum, & infra, pagina 210. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pius IIII. in sua constit. 51. de qua supra pag. 15. tom. 2. contra Religiosos ab Inquisitoribus procedi posse decreuit, dummodo ab eorum Superioribus non esset præuentum, §. 1. Hic Pontifex quascumque facultates, cuiuscunque Ordinis Prælatorum, cognoscendi regularium causas ad Officium Sanctissimæ Inquisitionis spectantes reuocat, §. 2. Sed eas Ordinarijs denunciari mandat, §. 3. Et pendentes coram dictis Superioribus, ad Inquisitores, & Ordinarios remittit, §. 4. Et omnia acta ad eosdem transmitti iubet, §. 5. Contrauenientibus pœnas imponit, §. 6. Clausulas huic Bullæ præseruatiuas apponit, §. 7. Derogatoriasque, §. 8. Formam, & effectum eius publicationis præscribit, §. 9. Transumptisque mandat, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Quæ potuit esse causa huius Constitutionis?

RESP. Rectissimè huiusmodi causarum fidei cognitio à cæteris abdicata, & ad solos Inquisitores delata fuit, quia in eorum Tribunalibus magis iuridicè, & secretè cuncta geruntur, & ob quotidianam experientiam, diligentiùs fabricantur processus, vt aduertit Pegna in Director. Inquisit. par. 3. Comment. 77. vers. Iustissimè, vbi propter alias fortasse grauiores causas, quas prudens ibi omittere subdit, sic decretum fuisse indicat.

Schol. secundum.

Quæro. Quid agendum, si aliquis Magister Ordinis Generalis, de hæresi suspectus haberetur?

RESP. Priuati Inquisitores non debent de facili procedere,

cedere, sed rem Inquisitoribus generalibus renunciare, qui causa cognita optimè decernent, quid facto opus sit, vt notat Pegna in d. comment. 77. in fine.

XXVII.

Edita Anno 1606.

Ad vberes, & suaues fructus, & infra pagina 211. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, Fratres Capuccinos Ordinis S. FRANCISCI in Regnis Hispaniarum noua loca recipere posse, seruata solùm forma Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini §. 1. Derogat constitutioni 99. Clem. VIII. & cęteris contrarijs, §. 2.

Schol. primum.

Quaero. Quae est haec in recipiendis nouis locis forma tradita à Sacris Canonibus & Concilio Tridentino?

RESP. Papae tantummodo licentiam requiri scio, ex cap. vnico, §. 1. de Religios. Domib. in 6. quam facultatem postea locorum, vbi erigenda sint noua loca, Episcopis tribuit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. in fin. de Regular.

Schol. secundum.

Quaero. Capuccini fuerunt solùm in Italia recepti (vt omnes sciunt) quis ergo eis in Regnis Hispaniarum, vel alijs Monasteria habere permisit, vt supponitur in hoc indulto, quod circa modum ea recipiendi solummodo disponit?

RESPON. Perlege Gregorij XIII. diploma in Bibliotheca Genitoris mei repertum, quod dubio tuo plenè satisfacit.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Ex nostri Pastoralis Officij debito ad ea libenter attendimus, per quae singularum Religionum propagationi consulatur, maximè verò illarum, quae aliquid ex speciali Populorum deuotione operantur. Cum itaque Religio Ordinis Fratrum Minorum Congregationis Capuccinorum nuncupata dudum in Italia salubriter instituta, nunc etiam in partibus Galliarum, & signanter in Alma Ciuitate Parisiensi initium capta ad finem perduci desideretur, sed quia alias fel. recor. Paulus Papa III. Praedecessor noster ex certis tunc expressis causis in virtute Sanctae Obedientiae, & sub excommunicationis latae sententiae poena dilectis filijs Vicario generali, & Fratribus dictorum Ordinis, & Congregationis Motu proprio praecipit, ne donec à se in Capitulo generali eiusdem Ordinis, quod in Vrbe celebrandum erat, aliud super eo determinatum foret sese vltra Montes transferre, aut loca de nouo inibi acceptare auderent: Ipsi Vicarius, & Fratres, etsi hoc praeceptum dicti Praedecessoris obitu creditum sit expirasse, veriti tamen crimen transgressionis, nihil omnino contra illud, absque dictae Sedis permissione, ausi sint hucusque attrectare: Nos Religionis ampliandae studio prohibitionem praedictam, ac quicquid à dicto Praedecessore eius causa decretum est, authoritate praesentium abrogamus, ac Vicarium, & Fratres praedictos contra illa in integrum restituimus, quin etiam illis ad Gallias, ac caeteras omnes Orbis partes liberè transeundi, & ibidem domos, loca, Custodias, & prouincias, iuxta eorum morem fundandi, ac restituendi licentiam tribuimus. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis praedictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, caeterisque contrarijs quibuscumque. Quia verò difficile esset praesentes quocunque illis opus erit perferri: Volumus, vt illarum transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & Sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio, & extra, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent, vel ostensae. Nulli ergo, &c. Siquis autem, & cat. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, pridie Nonas Maij Pontificatus nostri, Anno Secundo.

XXVIII.

Edita Anno 1606.

Eximiae fidelitatis, & prudentiae, & infra, pagina 212. Bullarij.

COMPENDIVM.

Officium Auditoris causarum Curiae Camerae Apostolicae, cum omnibus eius iuribus, emolumentis, & iurisdictionibus Paulo cōfert Crescentio Romano §. 1. & seqq. Et facultate in causis criminalibus, absque irregularitate se immiscendi, §. 4. Causas per eius Auditores cognoscendi, §. 5. In causis obligationum Cameralium, praeterquam in litibus alibi pendentibus, & inter ciues Romanos iuxta Bullam Pij IIII. procedendi, §. 6. Easque ab alijs Iudicibus reassumendi, §. 7. Solus vigore obligationum Cameralium, censuras promulgandi, §. 8. Causas Spirituales, & Curialium, communitatum, Mercatorum, & pensionum cognoscendi, § 9. Causasque appellationum à Iudicibus Vrbis (Vicario, Gubernatore, & Senatore exceptis) & etiam extra Vrbem, §. 10. In causis non excedentibus valorem ducat. 100. necnon Mercatorum, & Notariorum Tribunalis summariè. & in alijs, prout in beneficialibus procedendi, §. 11. Causas criminales contra Curiales, & exemptos cognoscendi §. 12. Monitoria contra Episcopos praeuio assensu Papae decernendi, §. 13. Literas Apostolicas solus, & raro alio executore cumulatiuè exequendi, §. 14. Sententias in Curia, & extra latas simili modo exequendi, §. 15. Pro contractibus in Curia initis, & Curiales, aliosque in Curia degentes citandi, §. 16. Compulsoriales, & remissoriales decernendi, §. 17. In vim Bullae Eugenianae Curiales tuendi, §. 18. Monitoria ad partes decernendi, §. 19. Inobedientes excommunicandi, §. 20. Excommunicati ab Aud. Cam. ab alijs non absoluuntur, sed è contra, §. 21. & 22. Obligationes Camerales contra debitorum decedentium bona exequitur, §. 23. Omnibus facultatibus alijs Auditoribus concessis vtitur, §. 24. Indultisq; §. 25. Dilationes ab alijs Iudicibus datae obligationis in forma Camerae non suffragantur, §. 26. Causa discussionum vbilibet pendentes, & appellationes non facientes mentionem de Obligatione Camerali, executionem non retardant, § 27. Praecedentia Aud. Cam. in Capella Papae, & alijs actibus publicis datur, §. 28. Contradictores in praedictis coerceantur, §. 29. Carceratos etiam extra Curiam vigore suorum mandatorum relaxat, §. 30. Miserabiles personas in causis discussionum alijs praefert, §. 31. In Curia, & extra citat, §. 32. Causas cambiorum siccorum Mercatorum Vrbis cognoscit, §. 33. Alij in obligationibus Cameralibus se non intromittant, §. 34. Declarat ex his non derogare Concilio Tridentino, & Reformationibus Pij IV. & Pij V. §. 38.

Schol. primum.

Quaero. Sub nomine Communitatum, de quibus in §. 9. continentur ne pupilli, itaut conuenti vigore obligationis Cameralis sui authoris non possit coram Aud. Cam. se tueri Priuilegio, l. vnicae Cod. Quando Imper.?

RESP. Non possunt, vt perbellè post alios ostendit Grattan. in suis Disceptation. forensib. lib. 3. cap. 182. per totum,

totum, Quam sententiam in facti contingentia Signaturam Iustitiæ amplexam fuisse, scio in vna Bononien. die 12. Maij 1594. proponente R.P.D. Robusterio, cuius votum per extensum vidi in Bibliotheca Genitoris mei.

Schol. secundum.

Quæro. Auditor Cameræ poterit ne causas alteri subdelegare?

RESP. Poterit, quia est delegatus à Papa, ita censuit Rota in decis. Seraph. 509. n. 3. in suis Nouis. & decis. 857. num. 17. vbi aliæ allegantur decisiones.

XXIX.

Edita Anno 1606.

QVæ regulares personas, & infra, pag. 216. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus in sua constitut. 12. de qua supra pagina 4. Congregationem Monachorum B. MARIAE Fulien. eorumque bona, & monasteria exemit ab omnibus Prælatis Ordinis Cistercien. §. 1. Et sub Sedis Apostolicæ protectione recepit, §. 2. Facultatesque datas Abbati Cistercij visitandi omnes Congregationes, & loca Ordinis Cisterciensis d. Congregationi non ob esse declarauit, §. 3. Et modo hic Pont. moniales etiam dictis gratijs, & exemptione, & regimini Prælatorum d. Congregationis Fulien. totaliter subiectas decernit, §. 4. & 5. Contraria remouet, §. 6. Huiusque Bullæ transumptis credi iubet, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Monialis translata de vno ad aliud monasterium, desinit ne esse filia primi monasterij, vbi professionem emiserat?

RESP. Non, si fuit translata cum habitu suæ Religionis gratia pœnitentiæ, vel ad euitan. rixas, vel scandala, aut ob aliam similem causam, præsertim si alita fuit expensis primi monasterij: Secus si transferatur, vt liberetur à consortio, & filiatione primi, & ibi professionem emittat; Quod probandum est ab eo, qui id allegat Nauar. de Regular. Comment. 4. num. 4. plenè Rota in decis. Litt. 109. & 115. par. 2. in Recentioribus ferè per totam.

Schol. secundum.

Quæro. Num monialis, quæ fuit dotata ea dote, quæ alijs monialibus dari consueuit, possit agere ad supplementum congruæ dotis, attenta magna patrimonij quantitate, & familiæ nobilitate?

RESP. Fuit desuper lis mota, & coram Illustrissimo Cardinali S. Marcelli, cui placuit consulere Rotam, quæ negatiuam sententiam tenuit, eo, quia competenter illa dicitur dotata, quæ iuxta consuetudinem loci dotata est, & taliter dotata excluditur à Statuto; Nec attenditur quantitas ampli patrimonij, cum elegerit ipsa in paupertate Christo pauperi famulari, & monasterium reperiatur, cum minori dote, quàm maritus, quia moniales non egent familia. liberis carent, non quærunt pompam, aut honores; Et neque nobilitas familiæ, quia inter moniales sunt omnes æquales glos. fin. necnon Panormit. & alij in cap. 1. de Purgat. Canonic. vt benè ostendit ipsa Rota in decisio. 60. part. 2. Diuersor. num. 1. & seqq. in Recentioribus, vbi latè.

XXX.

Edita Anno 1606.

ACcepimus inter alia laudabilia, & infra, pag. 217. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statuto Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani cauetur, vt in promotione militum ad magnam Crucem habeatur ratio meritorum magis, quàm antianitatis respectu temporis, §. 1. Quod Papa præcipit obseruari, quatenus sit in vsu, §. 2. Quibuscunque non obstantibus, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Huiusmodi Statutum concordat cum iure communi, vel discordat?

RESP. Concordat, vt mihi probat text. in cap. Licèt is, caus. 8. quæst. 1. Rota, quæ alias authoritates allegat in decis. Seraphini 942. in Nouis. num. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Erit ergo ei in quantum fieri potest inhærendum?

RESP. Ita quidem, quia fauorabile censetur, imò dicitur potius ius commune, quàm Statutarium Angel. cons. 357. incip. Dominus Gregorius num. 3. vers. Et maximè, vbi Bartolum, & Io. Andream ad hoc allegat. Idemque tradit Cassan. super Consuetud. Burgun. rubr. 2. §. 1. num. 9. in addit.

XXXI.

Edita Anno 1607.

POstulat Apostolici muneris ratio, & infra, pag. 218. *Item*, Cupientes regimini, & infra, pag. ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Facultas ministri Generalis Ordinis Fratrum minorum de Obseruantia extendit se etiam ad Fratres Reformatos, §. 1. Ministri Prouinciales Reformati ordinariam habent potestatem super Custodibus, & Reformatis, §. 2. Ministri non Reformati eisdem Custodibus, & Reformatis præcedunt, §. 3. Custodis, & eius Vocalium in Capitulo Prouinciali facultas quæ §. 4. Ad Ministrum Generalem appellatur, §. 5. Transitus de Reformatione ad familiam, & è contra, quando permittatur, §. 6. Nouitiorum electio est libera, Nouitiatum in familia, vel Obseruantia, §. 7. Continentium recipiendorum pro familia dispositio est Protectoris Ordinis, §. 8. Iussio prædicta obseruandi, §. 9. Derogatio contrariorum, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Custodum munus, in quibus consistit?

RESP. Accipe à Roder. de Quæst. Regul. to. 1. quæst. 70. artic. 1. & seqq. vbi hanc materiam fusè explicat.

Schol. secundum.

Quæro. Quanto tempore eius officium expletur?

RESP. Quousque alter Custos eligatur; Maximè enim expedit, vt semper sit Custos in Prouincia ad omnem euentum, ita aduertit Roder. vbi supra artic. 6.

XXXII.

Edita Anno 1607.

EXpositum nobis nuper fuit, & infra, pagina 219. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Rectores Parochialium Ecclesiarum in Indijs Occidentalibus exigebant maiorem eleemosynam ab ijs, qui in Ecclesijs Fratrum Eremitarum S. Augustini sepeliri volunt, quàm si in ipsorum proprijs Ecclesijs sepelirentur, §. 1. Eleemosynamq; Missarum, quas pro anima sua à dictis Fratribus dicendas relinquunt, cum ipsis esse diuidendam, §. 2. Ideò Pontifex decernit eis eleemosynam illam tantùm deberi, quæ præscripta est à Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. & à Pio V. supra in sua Constit. 41. pag. 46. to. 2. explicata fuit. §. 3. & 4. Executores huius legis deputat, §. 5. Contrarijsq; derogat, §. 6. Transumptisque credi iubet, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Qui primum Religiosi ad Indos pro eorum conuersione missi fuerunt?

RESP. Fratres Minores S. Francisci, vt recenset Roderic. d. Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 71. artic. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Dic amabò, quo in loco Constitutionis 41. Pij Quinti, de qua loquitur hic textus in §. 4. habetur explicatio

plicatio Quartæ funeralis, de qua hic agitur?

R E S P. Sub num. 11. & in const. ei adnexa incip. Ad hoc nos Deus, §. 3.

XXXIII.

Edita Anno 1607. & 1608.

CVm sicut accepimus in Ordine S. Benedicti, & infra, pagina 219. *Item*, Romani Pontificis, & infra, pagina 222. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad tollendum abusus exortus in Congregatione Cassinensi, aliàs S. IVSTINÆ Monachorum Ordinis S. Benedicti ab eodem Sancto instituti, erigit hic Pont. in Italia, & Insulis adiacentibus Septem Prouincias in princip. & §. 1. Romanam, in qua est Monasterium S. PAVLI extra mœnia Vrbis, & alia Septem Monasteria, §. 2. Hetruscam, Septem Monasteriorum, §. 3. Neapolitanam octo Monasteriorum, §. 4. Siculam septem Monasteriorum, §. 5. Venetam decem Monasteriorum, §. 6. Insubrem vndecim Monasteriorum, §. 7. & 37. Liguram septem Monasteriorum, §. 8. Ex dictis septem Prouincijs, nouem Abbates Diffinitores eligantur, §. 9. Quorum tres antiquiores quolibet anno vacent, & alij sufficiantur, §. 10. Et eorum aliquo Diffinitorio excluso, aliter ex vicintori Prouincia eligatur, §. 11. Conseruatores qui, & quod eorum munus, §. 12. Abbates quot eligendi, ex qualibet Prouincia, & quæ sit electio, §. 13. & seq. Eorum munus quinquennio expleatur, §. 15. Vita communis, & alia Ordinis instituta seruentur, §. 16. Studentibus plenè prouideatur, §. 17. Eadem vbique disciplina seruetur, § 18. Celariorum munus quod, §. 19. & sequentes Visitatorum quod sit munus, & electio, §. 21. & seq. Nouitiorum probatio, & educatio quæ §. 23. Nouitiatus duo de nouo eligantur, §. 24. Nouitiorum numerus quis §. 25. In Monasterio S. Pauli sex. §. 26. Quattuor in Monasterio Sublacen. §. 27. Abbas d. Monasterij S. Pauli, & Procurator Ordinis non sint de eadem Prouincia, §. 28. Priuilegia his non contraria confirmantur, §. 30. Professi in Monasterijs, ex quibus non sunt oriundi, gaudent Priuilegijs, quibus gaudent oriundi, §. 38. Qui ad Abbatiam Sancti Pauli concurrant, §. Prælatorum numerus qui §. 40. Diaconorum approbatio, quæ §. 4. Comprobatio Constitutionum à Gregor. XIII. approbatarum, § 42. Horæ Canonicæ in Choro recitandæ, §. 43. Culpæ Monachorum semel in hebdomada audiendæ, §. 44. Lectio Casuum conscientiæ habeatur, §. 45. Et alia Lectio in Refectorio, §. 46. Carnium esus seruetur, vt in Bulla Gregor. XIII. §. 47. Contrauenientium pœnæ, quæ §. 48.

Schol. primum.

Quæro, Regulam S. Benedicti quis primum Pontifex approbauit?

R E S P, Gregorium I. annos 595. in Concilio Romano eam confirmasse, & reformasse colligitur ex Ciacon. in Vita d. Gregorij. Et expressiùs id firmat Baron. in Annal. Eccles. tom. 8. pag. 91. Et ante eos (licèt in temporis computatione erret) hoc idem tradit Baptista de Caccialup. in cons. 4. post consilia Cardin. Zabar, num. 37. & 43. Et subdit, Zacchariam quoque Pontificem anno 742. ad Pontificatus apicem euectum, d. Regulam comprobasse, & initia Bullarum vtriusque Pontificis recenset.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis ob legitimum impedimentum esset exemptus à recitatione Horarum Canonicarum, de quibus in §. 43. diceretur ne exemptus etiam ab earum auditione?

R E S P, Affirmatiua sententia verior videtur, cum ista auditio Clericis nunquàm iniuncta fuerit, vt relatis alijs sic scribit Roderic. de Quæst. Regular, tom. 1. quæst. 42. art. 10.

XXXXIV.

Edita Anno 1607.

REligiosorum sub suaui, & infra, pagina 223. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quidam locorum Ordinarij prætendebant Religiosos intra claustra degentes coram eis conueniri debere in causis ciuilibus, §. 1. Sacra Congregatio super interpretatione Concilij Tridentini contrarium statuit, Religiososque coram eorum Superioribus, vel Conseruatoribus iuxta ipsorum priuilegiorum normam conueniendos esse, §. 2. Hic Pontifex eorum sanctionem approbat, §. 3. Et seruari præcipit, §. 4. Quibuscumque non obstantibus, §. 5.

Schol. primum.

Quæro, Conseruatoria, de qua in §. 2. quanto tempore durat?

RESPON. Non vltra quinquennium ex dispositione Concilij Tridentini session. 14. cap. 5. Quod limitatur quoad Conseruatorias datas Religionibus, quæ perpetuæ sunt, vt aduertit Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 65. art. 6. & 9.

Schol. secundum.

Quæro. Concilium ergo Tridentinum in d. capitulo 5. locum non habet quoad conseruatorias religiosorum?

R E S P. Non, vt patet ex textu met Concilij, & scribit Roderic. vbi supra. Et ita censuit etiam ipsa Congregatio S. R. E. Cardinalium interpretum dicti Concilij teste Ioan. Francisco Leone in suo Thesaur. fori Eccles. part. 3. cap. 39. num. 58.

XXXV.

Edita Anno 1607.

QVoniam nemo debet sibi, & infra, pagina, 224. Bullarij.

COMPENDIVM.

Regularium ambitum improbat in princip. Et quia Canonici regulares S. Saluatoris ad obtinendas dignitates Ordinis, fauores personarum extra Religionem requirũt, §. 1. Hunc ambitum eis interdicit, §. 2. Superioribusque eos attendentes pœnas inobedientiæ, & excommunicationis latæ sententiæ imponit, §. 3. Electiones irritat, §. 4. Contrauenientes eo ipso pœnas incurrere declarat, §. 5. Ambitum ex sola illarum personarum instantia, vel precibus etiam oretenus porrectis probari decernit, §. 6. Et ita, & non aliter iudicari debere præcipit, §. 7. Contrarijs omnibus derogat, §. 8.

Schol. primum.

Quæro, Aliàs a te dictum fuit, quòd ambitus subtile malum est, dic amabò cujus authoritate probetur?

R E S P. S. Bernardi in Psal. 90. sic scribentis. *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea Sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem.*

Schol. secundum.

Quæro, Ambitum eiusmodi fugiendi, quod putas remedium?

R E S P. Illud vnum ex pluribus Sanctorum exemplum B. Gregorij tibi propono, a Ioanne Diacono in eius vita relatum. Quòd is in Pontificem electus non modo aufugit, sed Mauritium Imperatorem, ne suæ electioni consentiret, literis compellauit; Iudicio autem cœlesti columnæ igneæ proditus, & Pontifex factus, primus se Epistolis seruum seruorum appellauit. Quod vltimum tenet etiam glos. 3. in proœm. 6. Decretal. in addit. & Io. and. ibid. n. 1. atque Archid. num. 2.

Ex

XXXVI.

Edita Anno 1607.

EX credito nobis Pastoralis, & infra pagina, 225. Bullarij.

COMPENDIVM.

Summi Pontifices, & Concilium Tridentinum statuerunt, institui debere Confraternitates Doctrinæ Christianæ, §. 1. Fuit propterea in Vrbe instituta nedum Confraternitas laicorum, sed etiam Clericorum ad pueros instruendos, in fidei rudimentis, & Christianis virtutibus, §. 2. Quã hic Pont. erigit in Archiconfraternitatem in Basilica S. Petri, §. 3. Eius Protectorem deputat Cardinalem Papæ Vicarium, §. 4. Archiconfraternitati facultatem elargitur; alias Confraternitates sibi aggregandi, & Indulgentias cõmunicandi, §. 5. Statutaq; de consensu Protectoris condendi, §. 6. Indulgentiam plenariam Confratribus concedit pro die ingressus, dieq; præcipuè festiuitatis Congregationis Articulo Mortis, §. 7. & seqq. Quibuscumque non obstantibus, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Cur puerorum hæc bona instructio præcipuè curanda?

RESP. Quia prima hæc ætas non differt à tabula rasa, in qua facilè quicquid libet imprimitur: Vnde diligenter cauendum, ne dediscenda discant pueri; si quidem ad bonã frugem vix spes relinqueretur.

Schol. secundum.

Quæro. Clericorum Doctrinæ Christianæ Congregatio, de quibus habetur in §. 2 quo tempore constituta fuit?

RESP. Hoc vnum scio, quòd in speciali quodam Clementis Papæ VIII. die 29. Decembris 1595. obsignato diplomate à Paulo V. die 21. Martij 1606. comprobato, enunciatur, Clericorum Doctrinę Christianæ Congregationem iam pridem in Vrbe fuisse institutam, & non mediocres Dei Ecclesiæ fructus afferre, Quodq; eam Congregationem à cura Parochorum idem Clemens exemit, ac facultatem administrandi Sacramenta personis ipsius Congregationis concessit.

XXXVII.

Edita Anno 1607.

EX quo diuina Maiestas, & infra, pagina 226. Bullarij.

COMPENDIVM.

Communicat Congregationi Clericorum Regularium de Sommasca aliàs S. Maioli quæcunque priuilegia Ordinibus Mendicantium concessa, & concedenda, §. 1. Contrarijs omnibus derogat, §. 2. Huiusq; constitutionis transumptis credi iubet, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Quid si non specificè dedisset priuilegia Mendicantibus concedenda?

RESP. Illa quidem non venirent arg. tex. in l. si ita 8. ff. de Auro, & Arg. leg. Et benè Mandos. in suo tract. de Priuileg. ad instar. in glos. 14.

Schol. secundum.

Quæro. Si aliquod ex priuilegijs Mendicantium ante huiusmodi communicationem fuisset in vsu, præsumeretur ne fuisse etiam in vsu hoc tempore communicationis, vt comprehendatur in communicatione?

RESP. Affirmatiuam sententiam probat Roderic. de Quæstionib. Regular. tom. 3. quæst. 51. artic. 4. vers. Dico secundo.

XXXVIII.

Edita Anno 1607.

CVpientes constitutionem à fel. rec. & infra, pag. 227. *Item*, Iam pridem cupientes, & infra pagina ead. Bullarij.

COMPENDIVM.

Cardinales ad executionem constitutionis 10. à Clemente VIII. de bono regimine Communitatum Status Ecclesiastici editæ, de qua supra pag. 3. deputat, §. 1. Dat eisdem iurisdictionem per se, & alios causas tam ciuiles, quàm criminales, & mixtas cognoscendi, §. 2. Prælatos de assensu Papæ in Consultores adhibendi, Secretariumq; deputandi, §. 3. Declarat intellexisse de causis spectantibus ad prouentus, & redditus Communitatum, siue administrationes bonorum eorumdem, non autem pœnarum maleficiorum, in constitutionis subseq. §. 1. & 2. Et ita, & non aliàs iudicari mandat, §. 3. Contrarijsq; derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Harum constitutionum secunda edita anno huius Pontificis tertio, ad declarationem alterius editæ anno 1. porrigeretur ne etiam ad causas pœnarum maleficiorum ante hanc vltimò promulgatam patratorum?

RESP. Lex regulariter respicit futura l. leges 3. Cod. de Leg. Fallit tamen in hac edita ad declarationem legis præcedentis cap. fin. & ibi Canon. communiter de Constit. Bellam. cons. 33. n. 40. Alex. cons. 7. lib. 2. n. 4. & 5.

Schol. secundum.

Quæro. Clausula (*sublata*) de qua in §. 3. quid operaretur, si contingeret dubitari, an hæc lex respiciat præterita?

RESP. Operabitur, quòd si quis possidet, interim est manutenendus Rota in decis. Seraphini 1471. num. 5. in Nouis.

XXXIX.

Edita Anno 1008.

ADmonemur pastoralis officij, & infra pagina 228. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. in sua constit. 62. de qua supra pag. 99 tom. 2. Prælatis Ordinis Fratrum Prædicatorum vetuit vllam facere gratiam cuiuis Religioso d. Ordinis, vel pœnam remittere, ad instantiam personarum extra Religionem existentium, §. 1. Vetuit etiam Fratribus his modis aliquid sibi procurare, §. 2. Clemens VIII. in sua constit. 7. de qua supra pag. 2. huiusmodi prohibitiones ampliauit, § 3. Hic Pontifex eiusmodi constitutiones approbat, §. 4. Omnibusque contrauenientibus pœnam excommunicationis latæ sententiæ addit, §. 5. Contrarijs insuper derogat, §. 6. Et huius Bullæ transumptis credi iubet §. 7.

Schol. primum.

Quæro. De eiusmodi ambitionis vitio, de quo supra in const. 55. S. Bernardi elegans dictum mihi significasti, aliud nè simile habes?

RESP. Audi S. Ambrosium in Lucam sic scribentem, *Hoc ipso perniciosior est ambitio, quòd blanda quadam est conciliatricula dignitatum, & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla subruere auaritia, facit ambitus criminosos.*

Schol. secundum.

Quæro. Ecquod putas opportunum ad ambitionem fugiendam remedium?

RESP. Propone, vltra allatum à me tibi supra B. Gregorij, aliud D. Ambrosij Ecclesiæ Mediolanen. vigilantissimi Pastoris exemplum, Qui Episcopus Mediolanen. à Populo, & Imperatore electus, noctu ex Vrbe aufugit, & cum Ticinum iter intendisset, non sine miraculo mane deprehẽdit se esse in porta Mediolani, ex Paulino in eius Vita.

XL.

Edita Anno 1608.

EXomnibus Christianæ Charitatis, & infra pagina 228. Bul-larij.

COMPENDIVM.

Dat facultatem Fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis ad partes Infidelium se transferentibus pro redimendis captiuis audiendi confessiones ibi degentium, eosque absoluendi, §.1. Presbyterosq; super irregularitate dispensandi, §.2. Captiuos à votis absoluendi, §.3. Bona incerta per eosdem malè parta condonandi, §.4. Paramenta, & ornamenta Ecclesiastica benedicendi, §.5. Concedit, quòd Religiosi, & alij presbyteri etiam captiui certis horis missam in altare portatili in illis partibus celebrent, §.6. Sacramenta Ecclesiastica certo modo ad Christifideles deferant, §.7. Permittit dictis Fratribus bona eis data impendere in eorum, & captiuorum vsum, redemptionemq; eorundem, §.8. Missarumque celebrationem pro animarum à Purgatorio liberatione §.9. Indulgentiam plenariam Christi fidelibus in illis partibus degentibus statis diebus confessis, & sacra communione refectis elargitur, §.10. Aliasq; indulgentias eisdem pia quædam opera facientibus concedit, §.11. & seqq. Indulget prædictis in periculo mortis Sacerdoti etiã captiuo confitendi, §.13. Hanc concessionem ad decennium duraturam esse decernit, §.15. Eiusq; exemplis credi iubet, §.16.

Schol. primum.

Quæro. Clerici nonne potius, quàm laici redimi debent?

RESP. Ita sanè tamquàm digniores, & pariter adolescentes, & mulieres tamquàm fragiliores Franc. in decis. Neapol. 190. in fine, vbi ita seruari recenset.

Schol. secundum.

Quæro. Facultas condonandi malè parta incerta, de qua in §.4. extenditur etiam ad futura?

RESP. Extenditur, & ex ea non datur materia delinquendi directè, nec indirectè, vt defendit Nauar. de Indulgent. notab. 34. n.4. & sequitur Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 2. q. 42. art. 2.

XLI.

Edita Anno 1608.

ROmanus Pontifex principatum, & infra, pagina 229. *Item*, Militiarum Ordinum, & infra, pagina 231. Bullarij.

COMPENDIVM.

Henricus IIII. Galliæ Rex, militarem Ordinem sub regula, & denominatione B. MARIAE de Monte Carmelo, pro nobilibus, & ingenuis viris nationis Gallicæ de bonis suis merè laicalibus institui cupiens, Papæ supplicat pro opportuna prouisione. §.1. Qui d. Ordinem erigit sub d. denominatione, regula, & habitu in Conuentu per Regem deputando in locis sibi subiectis, §.2. Magistratus eius, dispositionem omnimodam Regi tribuit, §.3. Magister ab eo prouisus infra tres menses à Sede Apostolica confirmationem impetret, & fidei professionem ad eam transmittat, & antea in Magistratu se non intromittat, §.4. Et is Magister principalem Ordinis Sedem, in loco ex his, quæ Rex possidet collocare, & Milites creare possit, §.5. Statutaque pro Ordinis regimine condere, §.6. Prioratus etiam, & beneficia conferre, §.7. Priores, Præceptores, & Capellani habito Magni Magistri consensu, in Ecclesijs Ordinis Ecclesiastica Sacramenta administrẽt, §.8. Magistro pro ducatis 1500. & Militibus pro scutis 500. pensiones super beneficijs Ecclesiasticis in locis à Rege possessis, authoritate Apostolica reseruandas, vna cum Prioribus, & alijs beneficijs d. Militiæ habere posse concedit, §.9. Militia, eiusq; personæ, & bona, ab impositionibus, & Ordinariorum superioritate exempti sint, & Magno Magistro totaliter subiecti, §.10. Ipsisq; omnibus Indulgentias elargitur, §.11. Executores huius constitutionis deputat, §.12. Contrarijsq; derogat, §.13. Milites fidei professionem emittant in subseq. const. §.1. & 2. In habitus susceptione Eucharistiam sumant, §.3. Habitum eis præfinitum gestent, §.4. Vota castitatis coniugalis, & obedientiæ emittant, §.5. Contra Rom. E. hostes pugnare promittant, §.6. Officium B. MARIAE, vel coronam singulis diebus recitent, §.7. Festis, & Sabbathi diebus Missam audiant, §.8 Feria quarta ab esu carnium se abstineant, §.9. Festis B. MARIAE Virginis Eucharistiam sumant, §.10. Die Festiuitatis B. MARIAE de Monte Carmelo ad eius celebrationem conueniant, §.11. Militiæ ærario solitas responsiones persoluant, §.12. Sub quibusuis Ducibus absque licentia Magni Magistri non militent, §.13. Quibuscumque non obstantibus, §.14.

Schol. primum.

Quæro. Milites isti debebunt ne profiteri post annum, vel ante iuxta Concilij Tridentini dispositionem in ca. 15. sess. 25.?

RESP. Possunt ante, & post annum, quia d. Concilium non comprehendit Religiones Militares, vt per multa censuit Rota in dec. Seraphini 591. p. 1. Diuersor. num. 1. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Si votum castitatis coniugalis vouent, & obedientiæ, vt habetur in §.5. secundæ constitutionis, erunt verè Religiosi?

RESP. Veros Religiosos esse verius puto ex his, quæ scribit de similibus Militibus Roderic. de Quæst. Regul. tom. 1. quæst. 2. artic. 6. vers. In hac igitur opinionum varietate.

XLII.

Edita Anno 1608.

MAiestatis tuæ nomine, & infra, pag. 232. Bullarij.

COMPENDIVM.

Statuto Ordinis Militiæ S. Spiritus cauetur, non recipi exteros non habilitatos, aut non incolas Regni Franciæ, Et tàm Regem, quàm alios in die Congregationis generalis, Eucharistiam sumere debere, §.1. Rex dictę Militiæ administrator perpetuus, etiam ad exteros qualificatos Ordinem huiuc extendi, & Eucharistiam etiam ante diem Congregationis generalis, & admissionis ad habitum sumi posse, & deberi à Papa obtinet, §.2. & 3. Quibuscumque non obstantibus, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Hic Ordo à quo fuit institutus?

RESP. Ab Henrico III. Kal. Ianuarij anno 1579. institutum fuisse scribit Petrus Gregor. Tholos. lib. 15. Syntagm. iur. cap. 35. nu. 12. vbi loquitur etiam de alia Militia Stellæ, & altera S. Michaelis, ab alijs Galliæ Regibus institutis.

Schol. secundum.

Quæro. Si Miles huius Ordinis prætenderet se per vim, & metum ingressum fuisse hunc Ordinem, haberet ne locum contra eum, dispositio Concilij Tridentini sess. 25. de Regular. c. 19.?

RESP. Affirmatiua sententia tenta fuit in Congregatione Cardinalium super interpretatione d. Concilij, attenta vi illius verbi vniuersalis (*quicumque*) vt scribit Gonzal. super 8. reg. Cancellar. glos. 8. num. 62.

Roma-

XLIII.

Edita Anno 1608.

ROmanum decet Pontificem, & infra, pagina 232. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus, delegit Monachos Congregation. B.MARIÆ Fulien. Cisterciensis Ordinis S.Benedicti in Vrbe ad signandum Agnus Dei in cera toto tempore sui Pontificatus, §.1. Ipsique hoc eorum munus rectè impleuerunt, §.2. Leo XI. eisdem dictum munus comprobauit, §.3. Hic Pontifex idem munus prædictis perpetuò demandat, §.4. Cæterisque omnibus illud prohibet, §.5 Decretum irritans apponit, §.6. contrariaque remouet, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Cur ad caput Agni aureolam Sanctorum, & in humeris vexillum Crucis plerique appingunt?

RESP. Vt clarius distinguatur à bruto Agno, sic scribit Ioannes Molanus de Histor. SS. Imagin. lib.3. capit.20. vers. Pingitur. pag. mihi 130.

Schol. secundum.

Quæro. Vnde est quod plerique, & præcipuè recentes Baptizati, Agnus Dei ad collum pendentes ferunt?

RESP. Gentiles suis infantibus appendebant ad collum quasdam Bullas re turpicula signatas aut aliter superstitionibus auctas, ad auertendas fascinationes, vt inquit Varo de lingua Latina lib.6. Sed placuit Christi fidelibus superstitione in religionem murata, ad illas abolendas (vt de multis accidit) ex Sacris ceris Bullas confici, quas Agni Christum præ se ferentis imagine insignitas gentiu in Christo gestarent Baron, lib.1. Annal. Ecclesiasticor. pag. mihi 520. litera C.

XLIIII.

Edita Anno 1608.

MAiestatis tuæ votis, & infra, pagina 233. Bullarij.

COMPENDIVM.

Regis Galliæ Christianissimo concedit facultatem reformandi, & corrigendi Statuta Militaris Ordinis S.Spiritus, & alia edendi, iusta tamen, & honesta, & Cōcilio Tridentino, & Apostolicis constitutionibus non contraria §1. Quibuscunque constitutionibus Apostolicis non obstantibus, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Rex Galliæ cur Christianissimus appellatur?

RESP. Ob syncentatem fidei Catholicæ, quę semper in Regibus Galliæ viguit, vt habetur in Historijs Gallorum, & meminit Ioan. Ferald. de Priuileg. Regini Francor. numero 7. & seqq. vbi inserit quandam Constitutionem Bonifacij IX. vbi eum Regem Christianissimum appellat.

Scholium secundum.

Quæro. Si fuisset data solùm facultas reformandi Statuta, potuisset ne Rex in totum tollere antiqua Statuta, vel contrarium directè statuere?

RESP. Non, quia plus est tollere, quam corrigere secundum Bald. in cons.129. incip. Est dicendum lib.5. ad medium. Et ideo benè addita est facultas etiam alia de nouo edendi.

XLV.

Edita Anno 1608.

COelestis aquæ flumen, & infra, pag. 233. Bullarij.

COMPENDIVM.

B.FRANCESCA de Pontianis Romana, Sanctitate Illustris, multisque præclara virtutibus fuit §1. & seqq. Infans sæculi illecebras fugit, & in solitudine orationi vacauit, §. 4. Nupta virum habuit tanquam non haberet, §.5. Deuotis meditationibus, sanctisque operibus studuit, §.6. Religiosam domum pro mulieribus oblatis Ordinis S.Benedicti instituit, §. 6. Quarum numero post viri obitum adscripta sanctissimam vitam duxit, §.8. Humilitate, & in proximum charitate claruit, §.9. Patientiaque, & fortitudine, §.10. Asperitate insuper vitæ, ac maximè obedientia, §. 11. Aegrum comitiali morbo sanauit, §.13. Laborantem hernia liberauit, §.14. Mulieri brachij vsum reddidit, §.15. Panes multiplicauit, §. 16. Vuæ sororibus sitientibus eaorante apparuerunt, §17. Aqua labens ei oranti perstitit, §.18. Adolescentis occultum propositum ei patuit, §.19. Infantis obitus ab ea præuisus fuit, §.20. Eius corpus post obitum odore fragrauit, & miraculis claruit, §21. & seq. Mulieri visum restituit, §.23. Peste infectam alium liberauit, §24. Alteram febre morituram sanauit, §.25. Et aliū, §.26 Puero gressum reddidit, §.27. De eius canonizatione apud Plures Pontt. actum fuit, §.28. & seq. Hic Pont. multis desuper peractis B.FRANCISCAM Sanctam pronunciauit, & canonizauit, §.33. & seq. Eius festum die 9. Martij agi iubet, §.39. Indulgentias eius sepulchrum visitantibus elargitur, §.40. Adstantibus Canonizationi peccatorum remissionem concedit. §41. S Franciscæ præsidium implorat, §.42. Huius Bullæ transumptis credi iubet, §.43 Sanctionemq; pœnalem apponit, §44.

Schol. primum.

Quæro. Oblatæ, quarum domum S.Francisca instituit, vt in §.7. erant, vel sunt Moniales, quæ ad clausuram teneantur?

RESP. Non, vt latissimè de hoc consultus probat Nauar. cons.81. de Regular. lib.3. pag. mihi 289. in impressis de anno 1610.

Schol. secundum.

Quæro. In quibus consistit his temporibus practica, & modus canonizandi Sanctos?

RESP. In duodecim actibus, de qoibus post alios meminit Mascard. de Probat. lib 1. conclus.261. numero 58. Rocca vbi supra Graff. in suis decis. par.2. lib.2. capit.13. num.41. & seqq. ac Troyl. Maluet. de Canoniz. SS. in 4. & vlt. dubio.

XLVI.

DVm generosa militum, & infra, pag. 237. Bullarij.

Edita Anno 1608.

COMPENDIVM.

Pius IV. in sua constit.60. de qua sup. pag.8. to.2. multas gratias Militibus S.Stephani concessit, & signanter facultatem retinendi, & transferendi pensiones ducat.100 §.1. Pius V. in sua constit.73 de qua supra pag.56. eod. to. hoc indultum obtinendi pensiones abstulit, & obtentas post contractum matrimonium vacare decreuit, §.2. Sixtus V. in sua constit.104. de qua supra pag.142. eod. tom. Bullam Pij V. quoad istos milites etiam Bigamos, & illegitimos reuocauit, §.3. Hic Pont. ob egregias contra Infideles huius Militiæ victorias, & ob alias causas, gratias à Pio Quarto, & Sixto V. concessas restituit, & ad summam ducat.400. extendit, §.4. & 5. Clausulas præseruatiuas huius concessionis apponit, §.6. Eiusdem Executores deputat, §.7. Contrarijsq; omnibus derogat, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Verbum (*Bigamus*) de quo in §.3. quid operatur?

RESP. Absque eo facultas militum retinendi pensiones non obstante matrimonio, intelligeretur de primo dumtaxat glos.1. in capit. vlt. caus.33. quæst.2. & Rota in vna Placentina Pensionis 21. Nouembris 1596. coram Blanchetto.

Schol. secundum.

Quæro. Bigamus quis verè dicitur?

RESP. Qui cum vidua, vel corrupta contraxit, & consummauit matrimonium validè, vel diuersis temporibus ha-

habuit duas vxores etiam antea non corruptas, Rota decis. 1. de Bigam. in Nouis. num. 9. vbi habetur etiam de alio simplici genere Bigamiæ,

XLVII.

Edita Anno 1608.

EXpositum nobis nuper fuit, & infra, pagina. 239, Bullarij.

COMPENDIVM.

Rectoribus Ecclesiarum in Indijs præcipit, vt ea sint contenti eleemosyna pro his, qui in Ecclesijs Fratrum, & Monialium S. Francisci de Obseruantia eligunt sepulturam, quæ à Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. præscripta, & à Pio V. in sua constit. 41. explicata fuit, §. 1. & seqq. Nec in eorum Parochialibus eosdem sepeliri cogant, §. 6. Executores huius legis deputat, §. 7. Contrarijs derogat, §. 8. Transumptisq; credi iubet, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Hęc electio sepulturę quot testium numerum ad probationem requirit, si testamentum non appareat?

R E S P. Duorum saltem, cum sit species vltimæ voluntatis, & agatur de præiudicio Ecclesiæ Parochialis, vt in specie sic tradit Sebast. Medic. in suo tractat. de Sepultur. quæst. 8. & sequitur Marcus Antonius Genuens. in Praxi Archiep. Cur. Neapolit. sub num. 14. in adnot.

Schol. secundum.

Quæro. Si Iudex desuper aditus pronunciaret, constare de eiusmodi electione, & Rector Parochialis appellaret, esset ne eius appellationi suspensiuè deferendum?

R E S P. Non, quia agitur de re tempore peritura glos. penultim. in cap. Ex parte 5. de Sepultur. Anchar. consil. 189. num. 2.

XLVIII.

Edita Anno 1608.

ADmonemur Pastoralis officij, & infra, pag. 240. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prelatis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, prohibet, ne ad instantiam personarum extra Ordinem constitutarum, etiam Principum, gratiam aliquam Religioso d. Ordinis facere, aut honorem aliquem concedere audeant, §. 1. Fratres autem contra hoc decretum fauores procurantes ad eos, & alios inhabilitat, §. 2. Et sub eisdem pœnis huiusmodi fauores procurare, aut sponte oblatos recipere, vel munera aliqua exhibere interdicit, §. 3. Contrarijs quibuscumque non obstantibus, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Procurans fauorem, seu literas commendatitias cuiusdam Domini ad Electores, vt ei faueant, & pœnitentia ductus non vtitur, incidit in pœnas huius constitutionis?

R E S P. Non, vt in terminis non absimilis constitutionis firmat Roderic. de Quæstionibus Regular. tom. 2. quæst. 56. art. 2. vers. Circa prędicta, ea vtens ratione, quòd lex pœnalis intelligitur de actu procurationis, quæ habuit effectum.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si ne dum literas illas impetrauit, verumetiam misit, non tamen peruenerunt ad manus Electorum?

R E S P. In eadem sententia, & per eamdem rationem stat idem Roderic. sequendo Nauar. in simili casu hoc idē scribentem in cons. 60. incip. Prohibuit, lib. 5. de Sententia excom. num. 1. & seq. pag. mihi 628.

XLIX.

Edita Anno 1608.

AD ea circumspectioni tuæ, & infra, pagina 240. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat omnia Priuilegia, quæ alijs Archipresbyteris Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ concessa fuerunt, §. 1. Dat facultatem Cardinali Burghesio moderno Archipresbytero cognoscendi quascumque causas interesse dictæ Ecclesiæ, Capituli, & aliarum personarum concernentes summariè, absque terminorum substantialium, & alicuius telæ iudiciariæ obseruantia, §. 2. Et in Curia, & extra citandi, omnibusque Iudicibus inhibendi, & causas ab eis reassumendi, §. 3. Singulis diebus, & horis in honorem Dei non feriatis procedendi §. 4. Canonicosque, & alios à iuramento absoluendi, ad effectum agendi, §. 5. Et commissiones causarum non signatas manu Papæ non attendi, §. 6. Clausulas præseruatiuas huius Bullæ apponit, §. 7. Et clausulam, Sublata, §. 8. Contrarijsque omnibus derogat, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Illa clausula (*absque tela iudiciaria obseruantia*) quid operatur?

R E S P. Multa, quæ non posses portare modo; illud vnum accipias, quod non est necessaria repetitio testium, Rota in decis. Oradini 12. par. 1. Diuersor. num. 4.

Schol. secundum.

Quæro. Quis introduxit terminos substantiales, de quibus in §. 2.?

R E S P O N. Ad abbreuiandum lites introduxit Vrbanus VI. vt refertur in decis. Rotæ 2. de Rescriptis in Nouis. num. 2. vbi habetur etiam, qui sint termini substantiales, de quibus vide etiam Vestr. in Pract. Roman. Cur. lib. 5. cap. 1. num. 1. & seqq. & cap. 13. num. 1. ac Marches. de Commission. par. 2. cap. 1. num. 66. pagina mihi 350.

L.

Edita Anno 1608.

NVper ad nos perlatum est, & infra, pagina 242. Bullarij.

COMPENDIVM.

Fratres Ordini B. M A R I Æ de Mercede Redemptionis Captiuorum, pretextu cuiusdam indulti à Clemente Octauo reuocati, recipiebant professores Ordinis Sancti Francisci Capuccinos, & alios regulæ strictioris, §. 1. Id iste Pontifex interdicit, §. 2. Contrarijsque derogat, §. 3.

Schol. primum.

Quæro. Pro redimendis Captiuis poterunt, Fratribus instantibus, bona eorum vendi per Iudicem Commissarium dicti Ordinis, reclamantibus eorum filijs, aut coniunctis?

R E S P. Quod sic, vt tenet glos. in Authent. Vt cum de Appellat. cognosc. §. si vnum, & ita obseruasse testatur Franch. in decis. 190. dum erat Commissarius causarum d. Ordinis.

Schol. secundum.

Quæro. De eleemosynis collectis in aliquo Regno ad redemptionem Captiuorum, sunt ne redimendi Captiui eiusdem Regni, vel alij?

R E S P O N D. Illi si extant, & non alij, ex doctrina Bartol. & aliorum in l. 2. Cod. de Annon. ciuilibus, lib. 11. num. 1. & ita seruasse affirmat in facti contingentia, Franch. vbi supra.

Mini-

L I.

Edita Anno 1608.

MInisterio Sacri Apostolatus Officij, & infra, pag. 242. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia Monachi Congregationis B. MARIAE Fulien. Ordinis Cistercien. in dies fructus afferunt maiores, §. 1. Indulget eis Papa, vt vbique de sola Ordinariorum licentia noua loca acquirere possint, §. 2. Executores deputat, §. 3. Clementis VIII. Bullæ, & cæteris contrarijs derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si locum receptum vellent mutare hi Monachi de vno loco, ad alium eiusdem Ciuitatis requireretur hæc licentia Ordinariorum?

RESP. Affirmatiua opinio verior videtur, quia mutate, & de nouo construere æquiparantur in hac materia ob identitatem rationis, vt mihi probat text. in cap. 1. de Excessib. Prælator. in 6. & in clem. 3. de pœnis.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si solummodo vellent ampliare?

RESP. Licentia non esset necessaria, quia additamentum dijudicatur, sicut antiquum Monasterium, cui additur, ita per tex. in cap. fin. de Concess. Præben. in 6. tenet in puncto Roderic. de Quæst. Regular. tom. 2. quæst. 49. artic. 9.

L II.

Edita Anno 1608.

FAcultatum plura Monasteria, & infra, pag. 243. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet quamcumque cuiuslibet præeminentiæ personam, cui data, vel danda sit licentia, Monialium domos pluribus vicibus ingrediendi, ea licentia vti posse respectu singularium, sed permittit solummodo respectu vniuersorum, §. 1. Aliter einsmodi licentias interpretari vetat, sub pœnis & censuris, §. 2. Contrarijs derogat, §. 3. Transumptis fidem tribuit, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quid si quis proponeret aliquam interpretationem, stante prohibitione, de qua in §. 2.?

RESP. Proponat Papæ; eius namque est legem interpretari, cuius est condere cap. fin. & ibi communiter Scribentes de Constitut. Bald. consl. 305. lib. 2. num. 1. Rota in decis. Seraphin. 992. nu. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Quam putas Papæ interpretationem posse proponi?

RESP. Nullam, quia adeo sunt clara verba huius legis, sensusque ita manifestus, quod nulla mihi, & neque (vt credo) alteri subueniri potest l. 3. in fin. Cod. de liber. præter cum similibus, & fusè scribit Tiraquell. de reuocan. donation. §. Libertis, nu. 5.

LIII.

Edita Anno 1608.

CVm Ordo Fratrum Minorum Conuentualium, & infra, pag. 243. Bullarij.

COMPENDIVM.

Deputat Cardinalem de Lante Protector Ordinis Fratrum Conuentualium, §. 1. Monet eumdem, vt superiorum eiusdem ordinis authoritatem conseruaret, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quare Genitor tuus potuit potius facultates Protectoris Fratrum Minorum Conuentualium, quàm de Obseruantia?

RESP. Quia circa eiusmodi Protectorum facultates non reperijt alia Pontificum diplomata, quam Greg. IX. & Sixt. IIII. quæ solum respiciunt ipsum protectorem Fratrum Conuentualium: vnde congruentius erat, vt ex multis Pauli V. literis circa omnium Ordinum Protectores emanatas, eam ederet, quæ præcedentibus magis hæreret.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est, quod experientia nos docet, Protectores eiusmodi Ordinum, alijs, quàm hic descriptis, facultatibus vti?

RESP. Quia Summus Pontifex, de multis Ordines concernentibus, ad eius aures peruentis, grauiora Protectoribus in eius Curia præsentibus, viuæ vocis oraculo frequenter, rarò autem absentibus in scriptis delegat, Idque omnibus in Curia notissimum est.

LIV.

Edita Anno 1608.

ECclesiæ Militantis regimini, & infra, pagina 244. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quia in dubium venit apud aliquos, an Fratres Capucini sint verè Fratres Minores, & Filij Sancti Francisci, cum eius tempore non fuerunt instituti, Et an eorum Constitutiones sint consentaneæ Regulæ ipsius Sancti Francisci, §. 1. Hic Pont. declarat eos esse verè Fratres Minores, §. 2. Et suas Constitutiones Regulæ illius esse consentaneas, §. 3. Erita, & non aliter iudicari præcipit decernens inane quicquid in contrarium attentatur, §. 4. Executores huius Constitutionis deputat, §. 5. Contrarijs quoque derogat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Quid operatur decretum irritans, de quo in §. 4.?

RESP. Quod non possit dici de subreptione, nec de defectu intentionis, nisi Papa os aperiat id postulanti Rota in decis. Seraph. 761. num. 3. in Nouis. Alios autem effectus vide apud Gonzal. super 8. Regul. Cancellar. glos. 67. num. 1. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Comprehendit ne etiam authoritatem Papæ?

RESP. Comprehendit authoritatem à Papa alteri delegatam, sed non remanentem apud ipsum Papam, nisi in ipso decreto dicatur. Etiamsi per nos, aut successores nostros contrarium contigerit attentari, vt pluries fuit in Rota resolutum teste Robuster. in decisione 106. part. 1. Diuers. num. 3. post Puteum in decis. 408. lib. 2. num. 2. in Nouis.

LV.

Edita Anno 1609.

INter alias nostræ Pastoralis, & infra, pagina 144. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens VIII. in sua constit. 45. de qua sup. pagina 13. Fratribus Congregationis Ioannis Dei interdixit accessum ad Ordines Sacros, §. 1. Hic Pont. vt vnus ex Fratribus pro vnaquaque domo ad eos promoueatur concedit, §. 2. Nullum tamen ab eo officium exerceri decernit, §. 3. Et Congregatione pulsum ob demerita à Sacrorum Ordinum exercitio suspendit, §. 4. Sicque, & non aliter per quoscunque Iudices, & cęt. §. 5. Quibuscunque non obstantibus, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Si suspensus ab Ordinum exercitio, vt in §. 4. absolueretur ad effectum celebrandi in vno loco, dicetur absolutus simpliciter?

RESP. Non, Rota in decis. 860. Seraphin. num. 2. in Nouis.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Sub illa dictione abbreuiata (*& cæt.*) de qua in §. 5. quid includitur?

R E S P. Includuntur omnia verba, & partes decreti irritantis, ita de ea post alios scribit Gonzal. super 8. Regul. Cancell. glos. 67. num. 2. & seqq. vbi multa cumulat.

LVI.

Edita Anno 1609.

ACcepimus non sine animi nostri, & infra, pagina 245. Bullarij.

COMPENDIVM.

Præcipit omnibus Regularibus, ad aliquas Indiarum partes pro fidei Catholicæ negotio per eorum Superiores transmissis ad alias se non transferre, sed ad illas rectâ trāsmeare, §. 1. Non obstantibus quibuscunque, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Posset ne regularis persona suo non obedire superiori, si ad Indos pro eorum conuersione ipsum transmittere velit?

R E S P O N. Non potest cogi à Regno, in quo habitum quis suscepit, discedere, & tàm longum iter arripere, cum non solum sit res multum Difficilis, sed etiam periculo spirituali non vacans, inter barbaras gentes commorari, Nisi in constitutionibus Ordinis id expressè caueatur, vt cauetur Statutis Societatis I E S V, ita post D. Thomam, Sotum, & Lopez firmat Roderic. de quæst. Regul. tom. 3. quæst. 20. art. 7.

Schol. secundum.

Quæro. Quo medio Regularem, ad obediendum etiam in asperis, ad quæ strictò iure non tenetur, disponeres?

R E S P. Perlege B. Leonem in Serm. 1. Epiphan. Domini sic dicentem; *Nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt ad effectum, quando, & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Et D. Bernardum in serm. 3. de Circumcis. Domini. *Si tibi in obedientiæ via, aliqua fortassis dura, & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum præcepta, quæ licèt salubria sint, minus tamē suauia videntur, & cæt. necesse est, vt illucescat dies patientiæ, per quod omnia dura, & aspera, tacita amplectaris conscientia, & c.*

LVII.

Edita Anno 1609.

ALiàs fel. recor. Sixtus Papa Quintus, & infra, pag. 245. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus V. in sua const. 86. de qua sup. pag. 136. tom. 2. Administratoribus Hospitalis Mendicorum de Vrbe tribuit facultatem deputandi vnum Doctorem in iudicem causarum illius, §. 1. A cuius sententia semel tantùm appellari posset, & duæ conformes faciant rem iudicatam, §. 2. Hic Pontifex dat authoritatem Cardinali dicti Hospitalis Protectori, deputandi vnum ex Iudicibus Ordinarijs Vrbis ad cognoscen. causas huiusmodi appellationis, firmo remanente Notario Hospitalis, §. 3. Quibuscunque non obstantibus, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Si vna sententia sit super negotio principali, & alia super defectione, erunt duæ conformes, de quibus in §. 2.?

R E S P. Erunt, vt ostendit Thesaur. in decis. Pedemont. 122. num. 16. vbi alios cumulat.

Schol. secundum.

Quæro. Qui sunt Iudices Ordinarij in vrbe, de quibus in §. 3.?

R E S P. Vicarius Papæ, Auditor Cameræ, Gubernator Vrbis, & Senator, eorumque Iudices, vt percipitur ex Pij IV. const. 78. §. 2. & 6. de qua sup. pag.

LVIII.

Edita Anno 1609.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra, pag. 246. Bullarij.

COMPENDIVM.

Inhærendo constitutioni 37. Pij V. de qua supra pag. 45. tom. 2. nec non const. 19. Gregor. XIV. de qua sup. pag. 147. to. 2. moderatur hic Pont. quæcumq; indulta S. R. E. Cardinalibus circa collationem beneficiorum Ecclesiasticorum, non tamen ratione Ecclesiarum, quibus in titulum, aut denominationem sui Cardinalatus præsumunt ad eos spectare quomodolibet concessa circa ea, in quibus effectum sortita non sunt, §. 1. Declarationem addit quoad beneficia familiarium eorumdem Cardinalium, §. 2. Hanc suam constitutionem extendit ad indulta etiam de cætero concedenda, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 4. Contrarijsque derogat, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Erit ergo per hanc ad indulta futura se porrigentem constitutionem, vt in §. 3. firmata de cætero qualitas Priuilegiorum Cardinalium?

R E S P. Firmata erit quousque aliquid successores non immutent; Aliquando enim ampliora, & aliquando restrictiora sunt, Pontificum mutatione, & arbitrio, & ad Cardinales affectione, vt inquit post alios Gonzal. sup. 8. Regul. Cancell. glos. 24. num. 73.

Schol. secundum.

Quæro. Familiaritas Cardinalium quot modis probatur?

R E S P. Multis quidem; Eos accipe à Simonet. in suo tractat. de Reseruat. Benefic. quæst. 36. per totam, & Mascard. de Probat. lib. 2. conclus. 755. num. 1. & seqq.

LIX.

Edita Anno 1609.

EX debito pastoralis officij, & infra, pagina 247. *Item*, In supremo, & infra, pag. 247. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus in sua const. 62. de qua sup. pag. 15. in Regnis Hispaniarum Congregationem Fratrum Reformatorum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum approbauit, §. 1. Hic Pont. pro felicioti eius progressu, Ministros ab vniuerso Capitulo prouinciali quolibet triennio eligi mandat, §. 2. In futuro Capitulo duas Prouincias distingui, & earum quamlibet per vnum Ministrum Prouincialem regi iubet, §. 3. alterius annexæ cōstitutionis. Et in eodem Capitulo Ministrum Prouincialem, Diffinitores, & alios Domorum Ministros Statuta pro bono regimine facere decernit, §. 4. Postea ad electionem Vicarij generalis deueniri præcipit, qui totius Congregationis Superior existat, & Ministro generali totius Ordinis subijcit, §. 5. Et etiam ad electionem diffinitorum, & Prouincialium, §. 6. Electioni Vicarij Generalis Nuncius Apostolicus vt præsideat, declarat, §. 7. Vicarius generalis (hoc primo excepto) à Ministro generali totius Ordinis confirmationem petere mandat, §. 8. Statimque post electionem munus suum exercere indulget, §. 9. Contrarijsque omnibus derogat, §. 10.

Schol. primum.

Quæro. Potuisset ne Congregatio ipsa absque hac Papæ licentia, Prouinciales, de quibus in §. 3. distinguere?

R E S P. Sicut diœcesis Episcopalis, absque Papa, distinctio fieri nequit cap. Felix. 50. caus. 15. quæst. 1. cum similibus, ita à simili firmat de distinctione Prouinciarum quoad Regulares Roderic. de Quæstion. Regular. tom. 1. quæst. 23. art. 8.

Schol. secundum.

Quæro. Si in §. 8. non esset expressum, quòd Vicarius generalis statim electus, munus suum exercere possit, quid de iure dicen. fuisset?

RE-

RESP. Non potuisset liberè omnia administrare non obtenta prius à Ministro generali totius Ordinis confirmatione, de qua in §.7. ita probat text. in cap. Nihil 44. de Elect. vbi glos. & DD. communiter idem affirmant.

LX.

Edita Anno 1609.

ECclesiæ Catholicæ regimini, & infra, pagina 248. Bullarij.

COMPENDIVM.

Adnumerat inter Ordines Mendicantes Fratres Reformatos Discalceatos Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redēptionis Captiuorum, §.1. & 2. Communicat eisdem illorū Ordinum gratias, & Priuilegia, d.§.2. Iubetq; desuper nō molestari, §.3. Clausulas huius constitutionis præseruatiuas apponit, §.4. Clausulamq; Sublata, &c, §.5. Executores deputat, §.6. Contrarijsq; omnibus derogat, §.7.

Schol. primum.

Quæro. Mendicantes vnde dicti?

RESP. Quasi manu dicant, & paupertatem suam manifestent, dum aliena quærunt, Archidiacon. in cap. Diaconi 23. dist. 93. nu. 6. Calderin. cons. 17. de Regular. ad med. Fulgos. cons. 103. num. 3. & Mandos. super Regul. Cancell. in reg. 23. de Mendicant. quæst. 3. in princ.

Schol. secundum.

Quæro. Si immobilia possident hi Fratres, aut annuos redditus, amittunt nomen Mendicantium?

RESP. Non, si Papa id eis indultum concedit, Lapus alleg. 4. nu. 4. vbi Apostilla adducit concordantes, & etiam Mandos. vbi supra in quæst. 4. num. 6. & in suo tract. de Priuileg. ad instar. glos. 11. per totam Roderic. de Quæst. Regular. tom. 1. quæst. 3. art. 9.

XI.

Edita Anno 1610.

QVæ piè, & sanctè à Romanis Pontif. & infra, pag. 249. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat, Constitutionum 62. à Clem. viij. editam de qua supra pag. 19. super confirmatione congregationis Fratrum Discalceatorum, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, §.1. Confirmatque, §.2. Et quia religiosos humilitatis virtutem inter alias habere oportet, vltra alia vota, præcipit etiam profiteri votum non prætendendi intra, vel extra congregationem Prælaturam, aut Officium etiam oblatum, nisi cogat is, qui cogere potest, §.3. Interdicat commutationem horum votorum, & dispensationem, §.4. contrarijsq; derogat, §.5. Transumptis etiam huius constitutionis credi iubet, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Religiosus, qui humilis esse velit, cur à dignitatibus eiusmodi debet abstinere?

RESP. Audi, quo pacto D. Bernardus Religiosum honorum amatorem carpit Homil. 4. super Missus est. *Sed video (quod magis doleo) post spretam sæculi pompam, nonnullos in Schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis, humilisque Magistri, grauius insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo. Quodque magis peruersum est, plerique in domo Dei, nō patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt: vt quia videlicet, vbi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.*

Schol. secundum.

Quæro. Et cōtrario forsan superbus dignitates ambit?

RESP. Ita quidem, & hinc Basilius in quadam eius admonitione ad Filium spiritualem, præter alia sic inquit, *Superbus non se patitur vnquam esse subiectum, sed semper primatum capit, & ad maiorem gradum emergere, & quod ex meritis non potest, ambiendo festinat obtinere.*

LXII.

SAnctissimus in Christo Pater, & infra, pagina 250. Bullarij.

Edita Anno 1610.

COMPENDIVM.

Hic Pontif. initio sui Pontificatus Prædecessorum vestigijs inhærendo sibi reseruauit omnia beneficia Ecclesiastica vacatura per pacificam assecutionem quorumcunque aliorum beneficiorum à Sanctitate sua, seù eius auctoritate conferendorum, §.1. Quidam verò prouisi ante illam reseruationem huiusmodi, alia cum eisdem incompatibilia per eos tunc obtenta in fraudem d. reseruationis resignant, vel dimittunt, d.§.1. Idem ergo Pont. eiusmodi resignationes, & prouisiones, &cæt. irritat, §.2. Et sub dicta reseruatione comprehendi decernit ibid. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §.3.

Schol. primum.

Quæro. Lex ista dicitur ne fauorabilis?

RESP. Sic profectò, quia edita est ad obuiandū fraudibus Felyn. in cap. 4. de Præscript. num. 15. Rota in decis. 215. Caputaq. par. 3. num. 1. & in decis. 42. Cantucij par. 2. Diuersor. num. 9.

Schol. secundum.

Quæro. Dicitur ergo conformis iuri naturali, secundum quod fraus prohibita est?

RESP. Ita post Bald. quem allegat in Auth. ingressi, Cod. de Sacrosan. Eccles. num. 24. scribit in materia Paris. de Resignat. Benefic. lib. 11. quæst. num 11. Caputaq. vbi supra, & Gonzal. super 8. Regul. Cancellar. §.6. proœm. num. 41.

LXIII.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & infra, pagina 251. Bullarij.

Edita Anno 1610.

COMPENDIVM.

Anathematizat iuxta antiquum Prædecessorum morē, quoscunque Hæreticos, eorum fautores, librosq; legentes, omnesq; Schismaticos, §.1. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, §.2. Piratas, & eorum fauores, §.3. Naufragorum bona surripientes, §.4. Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes, §.5. Falsificantes literas Apostolicas, aut falsò fabricantes, §.6. Deferentes arma, & alia vsui Belli apta ad Christiani nominis hostes, & nunciantes eisdem pertinentia ad Statum Reipublicæ Christianæ, §.7. Impedientes eos, qui victualia ad Vrbem deferūt, §.8. Lædentes eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, aut vexantes sine iurisdictione, eos, qui in Curia commorantur, §.9. Romipetas etiam in Vrbe cōmmorantes, aut abeuntes lædentem, §.10. Offendentemque S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos, §.11. Vel recurrentes ad Romanam Curiam, §.12. Appellantem a grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad laicam potestatē, §.13. Impedientem quoque executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum, aut gratiarum impetrationem, §.14. Iudices sæculares, qui ad forum eorum Ecclesiasticas personas trahunt, aut libertatem Ecclesiasticam perturbant, §.15. Impedientes quemcunque Prælatum ne sua iurisdictione vtatur, recurrentesq; ad Curiam secularem, eorumque auxiliatores, §.16. Vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum iurisdictiones, aut fructus sequestrantes, §.17. Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesijs, vel eorum fructibus, §.18. Iudices sæculares immiscentes se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, §.19. Occupantes bona S.R.E. vel eius iurisdictionem vsurpantes, §.20. Hæc Bulla, vsque ad alterius similis publicationem ligat,

gar, §. 21. Absolutio Papæ reseruatur, §. 22. Alij si absoluunt excommunicantur, §. 23. Papæ absolutio quos cõprehendat, §. 24. Contraria omnia abrogantur, §. 25. Publicatio Bullæ in Vrbe omnes afficit, §. 26. Ordinarij quotannis eam publicent, §. 27. Confessarij has literas apud se habeant, §. 28.

Schol. primum.

Quæro. Quando hæc Bulla Cœnæ Domini nuncupata publicari cœpta est?

R E S P. Quidam putant tempore Martini V. circa annum 1420. quo Boemorum hæreses in Concilio Costantiensi damnatæ fuerunt vt refert, & tenet Iacob. Graffii libro 4. decis. cas. consc. super 18. capit. huiusmodi Bullæ à Six. V. publicatæ, & Vgolin. pariter refert, sed non sequitur de Censuris Eccles. par. 1. cap. 5. Sed tamen eorum opinio detegitur minus vera in eo, quod dicunt de dicto tempore Concilij: Nã illud Concilium indictũ fuit à Ioã. xxiij. pro anno 1414. & illud expletum electo Martino V. anno 1417. vt patet ex lectura constitutionum eorundem Ioan. & Martin. in Bullar. pag. 145. & seq. tom. 1. Prout minus quoque vera detegitur circa tempus, quo initiata fuit publicatio huiusmodi Bullæ, nam longe ante Martin. V. de solemni hac anathematizatione habetur in Vrb. V. const. 1. in Bullar. pag. 219. & prius in clem. 3. in cap. Seu clem. 1. de Iudic. & antea in Bonif. viij. extrauagan. de Dol. & Contumac. vbi generales processus enunciantur à Rom. Pont. fieri soliti in diebus solemnibus, quos glos. & Scribb. dicunt esse diem 5. Hebdomadæ Sanctæ, diemque Ascensionis Domini, & Dedicationis Basilicarum SS. Petri, & Pauli, & de consuetudine huiusmodi publicationis meminerunt deinde Paul. II. & Six. IV. in Extrauagan. 5. & 5. de Pœniten. & remiss. quod aduertit etiam Vgolin. vbi supra.

Schol. secundum.

Quæro. Si quis in pluribus huius Bullæ capitibus contrauenit, incidit ne in vnam, aut plures excommunicationes?

R E S P. In plures incidit excommunicationes, & pluribus indiget absolutionibus, aut vna complectẽte plures. Nam quælibet contrauentio est actus de per se diuersus, & continet delictum, & excommunicationibus multis quis ligari potest ob multa delicta cap. fin. caus. 5. quæst. 4. & ita firmat Tolet in explicatione cap. 26. similis Bullæ Six. V. necnon Vgolin. nihil dicens de Toleto in suo tractat. de Censur. par. 1. cap. 8. vbi ex Ioan. Andr. in capit. Delictum 76. de Regul. Iur. in 6. affert simile, de eodem tempore, & eadem percussione plures Clericos offendente, & inquit, plures illum incidere excommunicationes.

L X I V.

Edita Anno 1610.

ECclesiæ Militantis regimini, & infra, pagina 254. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Quia Congregatio Clericorum Regulariũ S. Pauli Decollati pergit assiduè in diuersis Mundi partibus, Deo & Ecclesiæ suæ Sanctæ exhibere famulatum, §. 1. Hic Pontifex noua loca vbique eos construere posse decernit de sola licentia Ordinariorum, §. 2. Constitutionis Clementis Octaui, & cæteris contrarijs quibuscunque derogat, §. 3. Huius Bullæ transumptis credi iubet, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. De iure sufficiebat ne licentia Ordinariorum?

R E S P. Sic de iure antiquiori ad tex. in cap. de Monachis 12. caus. 18. quæst. 2. Sed postea hæc licentia soli Papæ erat reseruata cap. 1. de Excess. Prælat. in 6. Concilium autẽ Tridentinum sess. 25. cap. 3. de Regularibus licentiam Episcopi sufficere annuit, vt aduertit Capuccin. in Compend. Priuileg. Fratrum Minor. in §. Ædificare.

Schol. secundum.

Quæro. Si hi Clerici reficere vellent Monasterium antea destructum, licentia esset necessaria?

R E S P. Si totaliter esset destructum, licentia requireretur, quia perinde est, ac si de nouo totaliter construeretur; & viget eadem ratio prohibitionis Clem. viij. de qua in §. 3. Secus verò si reficeretur, ita determinat glos. in dicto cap. de Monachis, & Hostiens. in Summa tit. de Eccles. ædificand. in fine, & sequitur Marqu. de Susa, in tract. de Iudæis cap. 3. num. 12.

L X V.

Edita Anno 1610.

APostolicæ seruitutis onere, & infra, pagina 254. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Inhærens constitutioni Clem. V. in clem. 1. de Magistr. decernit in Studijs Regularium omniũ Doctores linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, & in celebrioribus etiã Arabicæ haberi, qui illas actu, & diligenter doceant, §. 1. Protectores Ordinum, huius constitutionis executores deputat, §. 2. Scholares earum Linguarum in promotione ad Doctoratus gradus cæteris præferri mandat, §. 3. Contrarijsque derogat, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quæ harum Linguarum antiquior?

R E S P. Omnium nationum vna fuit à principio lingua, & illa fuit Hebraica, vt notat Abbas Lapus in clem. 1. de Magistr. num. 1. & sequitur Imola num. 6. Vbi subdunt probabiliter credere, quòd in Patria cœlesti vna pariter erit.

Schol. secundum.

Quæro. In toto Orbe, quot sunt linguæ Sacræ, quotvè vulgares?

R E S P. Tres esse Sacras, nempè Hebraicam, Græcam, & Latinam affirmant Abbas Lapus, vbi supra, & etiam Imola num. 7. Vulgares autem septuaginta duas asse, & alias per commixtionem duarum, vel trium dialectorum, vt scribit Baron. in Annalib. Eccles. tom. 1. Romæ cuso pagina 216. litera K.

L X V I.

Edita Anno 1610.

INter graues Pastoralis Officij, & infra, pagina 255. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Orta fuit differentia inter Fratres Tertij Ordinis Sancti F R A N C I S C I familiæ Vltramontanæ, & Fratres S. FRANCISCI de PAVLA, super distinctione habitus, Quam hic Pont. duobus Cardinalibus diffiniendam commisit, §. 1. Qui pronunciarunt, Fratres d. Tertij Ordinis habitum gestare debere ex humili panno cõfectum ex tribus partibus Lanæ nigræ, & altera Lanæ albæ, §. 2. Quod Papa approbat, §. 3. & 4. Et Fratres Tertij Ordinis illo tantum habitu vti debere præcipit, §. 5. Contrarijsq; derogat, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Si quis ex dictis Tertiarijs hunc habitum non deferret ob aliquam iustam causam, incideret in hanc prohibitionem?

R E S P. Non, si temerè id non faciat, vt latè explicat Nauarr. in Manual. Confessor. cap. 27. num. 131. & sequitur Capuccin. in adnot. ad Compend. Fratr. Minor. in §. Habitus.

Schol. secundum.

Quæro. Cur hæc distinctio habitus, est inducta inter Regulares?

R E S P. Multis de causis, & signanter ne Ordines Mẽdicantes in quærendis eleemosynis, sibi ipsis præiudicent, Vt legere est in multis constitutionibus Apostolicis indicatis in d. Compend. in verbo, Habitus, Crederent etenim eleemosynam dantes, quòd talis esset, qui eam quæreret, qualem habitus, quem defert, demonstraret, cap. Si Iudex 12. de Sentent. excommunic. in 6. & scribit Federic. de Sen. consil. 13. num. 3.

Vni-

LXVII.

Edita Anno 1610.

VNigenitus æterni Patris Filius, & infra, pagina 256. Bullarij.

COMPENDIVM.

CHRISTVS varijs temporibus suscitauit in terris Viros Sanctos ad maiorem Ecclesiæ suæ gloriam, & aliorum exemplum, §.1. Pridem suscitauit CAROLVM BORROMÆVM multis virtutibus illustrem, §.2. Eius Canonizatio contingit tempore huius Pontif. qui de hoc plurimum lætatur, §.2. Et quædam de illius virtutibus, & miraculis hic recenseri voluit, §.4. Ortus Caroli nocte magnum illuxit lumen super cubiculo materno, §.5. Puer, & adolescens virtutibus emicuit, §.6. Cardinalis à Pio iiij. auunculo creatur, necnon Archiepiscopus Mediolani, §.7. In cuius administratione laudabiliter se gessit, §.8. Ecclesiam suam ad verum Ecclesiasticæ disciplinæ nitorem restituit, §.9. Sui ipsius, & familiæ Reformationi studuit §.10. Loca pia construxit, vel ornauit, Seminaria instituit, aliaque pia opera compleuit, §.11. Prædicationi, ieiunijs, & Orationi assiduè intendit, §.12. Ecclesiarum visitationi etiam cum suæ vitæ discrimine incubuit, §.13. Ecclesiæ patrimonium largè dispensauit, & auxit, §.14. Hospitalitatem publicè profitebatur, §.15. Eleemosynas abundantissimè dedit, §.16. Pestilentiæ tempore mirabilia operatus est, §.17. Ecclesiæ libertatis optimus conseruator fuit, §.18. Misericors in omnes fuit, §.19. Munera semper reiecit, §.20. Tribunalia sua ab iniquitatis labe præseruauit, §.21. Pijs operibus semper studuit, §.22. Castitatem præseruauit, §.23. Fide, Doctrina, & Charitate emicuit, §.24. Pietateq; & deuotione. §.25. Quotidie Sacrificium Deo offerebat genibusque flexis orabat, & semel orans à sclopi ictu in eum explosi mirabiliter est ereptus, §.26. Redditus patrimoniales, & Ecclesiasticos dimisit, §.27. Ieiunijs corpus seuerissimè castigauit, §.28. Ciliciοque, & aspera cubatione, atque frequentibus flagellationibus, §.29. Annum agens 48. obdormiuit in Domino, §.30. Miraculis, quorũ aliqua recensentur, claruit, §.31. & seqq. Clemẽs viij. Canonizationis eius negotium Congregationi Cardinalium super Sacris Ritibus commisit, §.41. & seqq. Leo XI. ad vlteriora procedi iussit, §.47. Hic Pont. idem negotium promouit, §.48. Reges, & Principes postularunt, §.49. Auditores Rotæ ad Canonizationem deueniri posse dixerunt, §.50. Cardinales in idem consenserunt, §.51. Rex Philippus in publico consistorio eam postulauit, §.52. In alio semipleno consistorio Papa de Canonizatione egit, & omnes Beatum Carolum Canonizandum esse dixerunt, §.53. Ipse ergo Deo gratias egit, §.54. Die 1. Nouembris ritè omnibus absolutis illum Sanctum pronunciauit, & Sanctorum Confessorum numero adiunxit, §.55. Eiusque Festum die 4. dicti Mensis agi voluit, §.56. Ea die illius sepulchrum visitantibus Indulgentias largitur §.57. Deinde ad Altare S. Petri præuijs solemnijs Missam egit cum commemoratione S. Caroli, §.58. Dat postremò gloriam Deo, omnesque apud eum orare hortatur, vt B. CAROLVM Ecclesiæ suę patronum pręstet, §.59.

Schol. primum.

Quæro. Ad ostendendum aliquem esse Sanctum, si vellem probare fecisse miracula, poterunt ne illa probari per testes singulares, vt puta vnus dicit illuminasse cæcũ, alius sanasse claudum?

RESP. Non, vt consulendo scripsit Alex. in consi.72. lib.1. sub num.3. Gabr. de Testibus conclus.2. num.59. & Malcard. de Probat. lib.2. conclus.1063. num.15.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi miracula poterunt ne directè à testibus probari?

RESP. Non, quia miraculum ex subiecto, in quo fit, principium non habet, & directa probatio est per rerum principia, indirectè autem probatur, idest, per rationem argumentandi, vt explicat Archid. in cap. Nec mirum 14. cauf.26. quæst.5. num.6. & Troyl. Maluet. de Canonizat. Sanctorum in 3. dub. num.53. & seqq.

LXVIII.

Edita Anno 1610.

QVæ salubriter à Prædecessoribus, & infra, pagina 260. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens Octauus in sua constit. 115. de qua supra pag. 37. præscripsit formam omnibus Ordinibus Regularibus, Religionibus, & Institutis, qua sibi Confraternitates, & Congregationes, cum Indulgentiarum communicatione aggregare possent, §.1. Hic Pontifex declarat Capitulum S. Ioannis Lateranen. de Vrbe, & alia quæcunque capitula in d. constitutione comprehendi, §.2. & 3. Quibuscunque non obstantibus, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Quid est, quod dicitur innumerabiles esse Indulgentias huius Ecclesiæ, vel Basilicæ Lateranensis, de quarum communicatione hic habetur?

RESP. Tot eas esse Indulgentias, quot nemo, nisi solus Deus enumerare potest, vt habetur in Compendio Fratrum Minorum in §. Indulgentiæ, & latius explicat Rodetic. de Quæst. Regular. tom.2. quæst.89. art.1.

Schol. secundum.

Quæro. Cur d. Capitulum in generali prohibitione non comprehendi dicebatur?

RESP. Fortasse, quia de ea specialis erat mentio facienda cum Ecclesia Lateranen. sit maior quacunque alia Vrbis Ecclesia, vt vidimus sup. in cõst.1. Greg. xj. to.1. pag.45.

LXIX.

Edita Anno 1611.

ROmanus Pontifex circa Sacrorum, & infra pag.261. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregationi Fratrum IOANNIS DEI, sublevationem pauperum infirmorum admodum vtili, Romani Pontifices nonnullas gratias elargiti sunt, §.1. Pius V. habitum eorum præscripsit, eleemosynasq; pro eorum Hospitalibus colligendi licentiam dedit, ordinatorumq; obedientiæ supposuit, §.2. Sixtus V. eosdem in vnam Congregationem Ioannis Dei nuncupandam vniuit; Capitulum generale in Vrbe cogendi, Prouinciasque distinguendi, ac vnum Generalem eligendi authoritatem tribuit, §.3. Clemens viij. vnũ ab eis dumtaxat Hospitalibus inseruiendi votum emitti, & sub ordinariorum obedientia degere statuit, §.4. Modò eorum maior in Hispanijs, huic Papæ exposuit Clemẽtis decretum, in illis partibus effectum sortitum non fuisse, & tria vota substantialia, cum quarto de iuuandis infirmis emittere consueuisse, §.5. Idque, & eos à sæculo seiungi, & Congregationis munia sub Regula S. Augustini obire satius esse ibid. Papa igitur hos fratres in illis Regnis sic professionem emittere indulget, §.6. Et sic professos veros esse Religiosos, & Regulares declarat, §.7. Eos autem ad habitum, & professionẽ, qui pro numero infirmorum necessarij sunt, admitti præcipit, §.8. In singulis Hospitalibus duos Fratres Presbyteros ad Sacramentorum administrationem permittit, §.9. Omnes Ordinariorum iurisdictioni, & correctioni supponit, §.10. Et si cessaret Hospitalitas illorum locorum administrationem ad Ordinarios spectare decernit, §.11. Et durante Hospitalitate, quorannis locorum Ordinarijs rationem reddere iubet, §.12. In prædictis aliorum iuribus non præiudicare declarat, §.13. Clausulas præseruatiuas apponit, §.14. Contrarijsque derogat, §.15.

Schol. primum.

Quæro. Num verum est, in prædictis regnis huius congregationis regimini, præesse maiorem à Prioribus illatum domorum ad sexennium eligendum, quod tamen hic non legitur?

RESP. Hic idem Pontifex id specificè iam concesserat per alias suas literas in forma Breuis die 12. Aprilis 1608.

vt

vt in quadam earum copia in Bibliotheca Genitoris mei perlegi, Easq; ideo ab eo typis datas non fuisse credo, quia mendum quoddam mihi habere visæ fuit.

Scholium secundum.

Quæro. Quid est quod audio, quamplures ab illis maiore, & Congregatione pro eius salubriori regimine præfinitas fuisse ordinationes?

R E S P. Eas constitutiones iam in vnum fuisse collectas palam est, earumque tenorem hic inserere prætermisi, quia postmodum eædem ab istomet Pont. examinatæ, profinitæ, & post hanc Bullam die 7. Augusti anno 1611. approbatæ, circumferuntur impressæ.

L X X.

Edita Anno 1611.

PAstoralis Officij cura, & infra, pagina 263. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Ad Annonæ, & Grasciæ vbertatem in ditione temporali, & præsertum eo magis curandam; vltra congregationẽ Cardinalium à Sixto V. institutam in sua constit. 74. supra pag. 131. tom. 2. erigit, ac subordinat aliam Prælatorum congregationem, quæ de Statu Annonæ, & Grasciæ diligẽter agat, & sibi referat, remanente in arduis d. Congregatione Six. V. §. 1. Boues aratorios, vel aptos ad arandum, mercari prohibet ad effectum mactandi, §. 2. Omnibus illos mactare interdicit, §. 3. Prædecessorum constitutiones desuper editas confirmat, §. 4. Iuuencos 25. ex centum Vaccis albis, quotannis ali, & nomen eum Vaccarum Præfecto Annonæ assignari iubet, §. 5. Vasallis Baronum quò voluerint alienos agros colere indulget. §. 6. Priuilegia exercentium artem Agriculturæ approbat, §. 7. Extractionem frumentorum certo modo concedit. §. 8. Subuentionem pecuniariam eis dari mandat, §. 9. Obseruantiam prædictorum huic Congregationi committit, §. 10. contraria non obstare decernit, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Annonæ, & Grasciæ nomine quæ veniunt?

RESP. Annonæ verbum latè sumptum significat panẽ, vinum, acetum, carnem, fœnum, paleas, & ligna l. 1. & 2. & l. 8. Cod. de Erogat. milit. Annun. lib. 12. necnon omnia vsualia, quæ ad pondus, vel mensuram venduntur l. Annonam, ff. de Extraord. criminibus, & tradit Mandos. de Annalib casibus, sub num. 45. vers. Casus 157. Sed non ita accipitur hic, cum ex tenore Bullæ frumentum dumtaxat significari videatur; Grasciæ autem verbum in iure non reperitur, sed ab vsu loquendi introductum, & secundum eũ eadem, quæ Annona in sua lata significatione comprehendit, vt consulendo explicat Castrens. in cons. 40. lib. 1. num. 31 & per eadem met verba Fulgos. consil. 15. incip. Istud nomen. Veruntamen, neque in hac significatione Grascia hic sumitur, sed in specie frumentorum tantum, vt verba constitutionis clarè indicant. Ideoque habemus in Vrbe alium Præfectum Grasciæ, vt notissimum est.

Schol. secundum.

Quæro. Tanta ne fuit etiam apud Romanos olim Annonæ cura, vt pluribus delegata esset, vt hic dicitur, de duabus Congregationibus desuper institutis?

R E S P. Maxima quidem: nam Caius Iulius Cæsar duos Aediles, qui frumento præessent, & à Cerere, Cereales constituit l. 2. §. Deinde Gaius, ff. de Orig. Iur. Præfecto etiam Vrbi Annonæ cura adiuncta erat l. 1. Cod. de Præfect. Vrb. Et insuper cum instabat penuria, Pręfectus Annonæ creabatur, qui præcipuè Annonam curaret, eiusq; magna erat dignitas, vt hæc omnia benè explicat Decian. libro 7. sui tract. cap. 22. de Fraudant. Annon. numero 8. & seq.

L X X I.

VNiuersi agri Dominici curam, & infra, pagina 264. Bullarij.

Edita Anno 1611.

C O M P E N D I V M.

Reformationi Romanæ Curiæ intendens decernit.

P R O Reformatione Signaturæ Gratiæ, & Iustitiæ, eius (vltra disposita in constit. 59. Pij iiij.) Referendarios non expedire commissiones non habentes à tergo nomen impetrantis, §. 1. num. 1. Impetratoresq; de mendacio conuictos, pœna falsi puniri, num. 2. Partes vna die pro alia, aut factis diligentijs citari iubet num. 3. In citationibusq; nomen Referendarij apponi, num. 4. In commissionibus appellationum ab interlocutoria, partem citari mandat, numero 10. Qui commissionem aliquam dolosè extorserit, & ob id reformata fuerit à Præfecto Signaturæ statim illũ cogat ad refectionem expensarum, num. 12. Commissio pro dilatione, vel alternatiua, & alia præterquam à Signatura Gratiæ impetrata non sust, agetur, num. 13. Referendarij in Commissionibus semper exprimant nullitates ex tribus, & attentata, num. 14. In commissionibusq; ue iactationum semper addant, dummodo iudicialiter non sint illatæ, num. 15. Instantia in causis discussionum, non nisi ex magna causa, per Signaturam Gratiæ prorogetur, num. 19. Quilibet Referendarius teneatur contra commissiones recipere, & proponere parte citata per quinque dies ante, num. 20. Regens Cancellariæ, & alij Officiales, absq; manu commissiones expediant iuxta turnum distribuant, & ad hanc hunc Cursorum transmittant, num. 23.

Signatura Iustitiæ, & Gratiæ Reformatio.

P R O Reformatione Tribunalis Cameræ Apostolicæ, decernit (vltra disposita in constitut. 55. & 87. Pij iiij.) quod Clerici Cameræ nihil priuatim expediant, nec patentes, aut literas de aliqua re subscribere, nisi ex commissione eis facta in plena Camera, vel nisi agatur de negotijs Gubernio cum eis annuatim distributorum, Presidentiarumq; & Præfecturarum, §. 2. numero 7. Appellationes à decreto vim diffinitiuæ habente, non recipiant, neque alijs appellationum causam committant, nisi grauamine, ita expresso, vt Camera intelligere, & deliberare possit, an appellatio sit admittenda, & semper parte citata, num. 15. camerales non scribant in causis priuatorum in Camera pendentibus exceptis causis Pauperum, vel vbi de Fisci, & cameræ interesse agitur, aut camera alicui adhærendo facit partem in iudicio, num. 16.

Cam Apostolicæ Reformatio.

P R O Reformatione Tribunalis Gubernatoris Vrbis decernit (præter disposita in constitut. 72. Sixti Quinti) Gubernatorem cumulatiuè procedere in omnibus causis criminalibus, in quib. Camerarius ipse procedere valet, itaut inter eos sit locus præuentioni, §. 3. num. 8. Et iurisdictionem habere in Hebræos, vt infra in §. 7.

Gubernatoris Vrbis Reformatio.

P R O Reformatione Tribunalis Aud. Cam. decernit (præter disposita in const. 115. Pij V. & const. 59. Pij iv.) non concedi Non grauetur, aut dilationes præterquam in vim susceptionis censurarum, vel termini iudicialiter à debitore suscepti, & hac conditione adiecta, Dummodo ab ipso Aud. Cam. vel alibi alium terminum nõ susceperit, §. 4. num. 4. In causis criminalibus, quando monitoria decerni possint declarat, num. 5. Et citationes extra Vrbem executas, & infra mensem non reproductas pro circumductis haben, num. 11. Permittit Locumtenentem in causis ciuilib. sportulas in causis per commissionem à principio introductis etiam sui natura ordinarijs, num. 28. Idem Locumtenens mandata executiua non subscribat, nisi prius ipsemet sua propria manu diem subscriptionis notauerit in libro expeditionum, num. 29. Locumtenens criminalis sportulas non recipiat, suoq; salario sit contentus, num. 30. Locumtenens ciuilis singulis mensibus scuta 50. monetæ tantùm à Notarijs habeat, num. 31.

Aud. Cameræ Reformatio.

P R O Reformatione Tribunalis Rotę decernit (vltra disposita in constitut. 44. Pij IV.) Auditores posse præfigere terminum ad docen. de appellatione, & prosecutione ad effectum procedendi ad executionem sententiæ latæ in causa appellabili, in qua condemnatus non appellauit, §. 5. num. 3.

Rotę Reformatio.

n.3. Commissionesq; distribui iuxta ordinem Turni, n.24.

Curiæ Capitolij Reformatio.

PRO Reformatione Curiæ Capitolij decernit vltra disposita in const. 58. Pij IV. Senatorem, & Iudices primas instantias, vna tantùm vice prorogare eorum arbitrio, absque vlla commissione, §.6.n.1. Inquilinosq; domorum de pensione debita ratam soluendam iussu Magistrorum Viarũ, pro sternendis vijs, retinere, non obstante quacumque eorum obligatione, sequestris, & alijs, num.14. Consulibus Artium prohibet peritos æstimatores à Iudicibus electos, num.22.

In causis Hebræorũ Reformat.

PRO Reformatione in causis Hebræorum decernit, Gubernatorem Vrbis contra eos procedere posse, etiam quòd agatur inter Hebræos tantùm, §.7.num.1. Camerariumq; & Præsidentes contra eosdem procedere posse in causis Cameralibus, seù ad Cameram quomodocumque spectantibus, aut ad Camerarium, etiam ratione pignorum, & personarum Hebræorum bancheriorum, nu.2. In causis furtiuorum pignorum quoad Hebræos bancherios sit locus præuentioni inter Camerarium, & Gubernatorem, n.3. Vbi agitur de Obligatione Camerali, Hebræi sint suppositi A.C. priuatiuè quoad alios, præterquam in dependentibus à causis, & actis aliorum Tribunalium: In causis verò criminalibus A.C. contra eos procedet, vt procedere consueuit, n.4. In causis in quibus adest mixtura Christianorum, & Hebræorum inter Vicarium Papæ, & Senatorem Vrbis, locum habeat præuentio ex officio, & non ad querelam: In alijs verò casibus quando agitur inter Hebræos, Vicarius in eos iurisdictionem habeat actiuè, & passiuè, quando verò inter alios passiuè tantùm, n.5.

Curiæ de Sabellis Reformatio.

PRO Reformatione Curiæ de Sabellis, & Curiæ Turris Nonæ (vltra disposita in const. 26. Gregor. XIII.) decernit, quod deputatio Iudicis fiat cum participatione, & approbatione Gubernatoris Vrbis, §.8.nu.2.

Curiæ Ripæ, & Ripettæ Reformatio.

PRO Reformatione Curiæ Ripæ, & Curiæ Ripettæ (vltra disposita in constit. 58. Pij IV.) decernit, Ripettæ Præsidem, aut Iudicem, non nisi præuio legitimo processu procedere posse ad compositionem, aut pœnæ, quamuis minimæ impositionem, §. 9. num. 1. Et pro mala mensuratione lignorum, corporalem pœnam arbitrio Iudicis imponendam esse, num. 5. Camerarium verò Ripæ aliquas compositiones facere non posse, nisi præcedente legitimo processu. Et omnes compositiones in libro adnotari debere, num.6.

Iudicum Criminalium Reformatio.

PRO Reformatione Iudicum Criminalium Vrbis (vltra disposita in constit.18. Pauli III. & const.43. & 56. Pij IV. & constit.93. Sixti V. & const.5. Clementis VIII.) decernit Iudices criminales, quibus certum salarium constitutum est, Sportulas, aut quicquam aliud etiam esculentum, vel poculentum, etiam à sponte dantibus recipere non posse in causis, tàm ordinarijs, quàm commissarijs, §.10. num.1. Quicumque habentes in Vrbe iurisdictionem criminalem, & facultatem Iudices deputandi, deputare possint solummodo aliquem ex iudicibus criminalibus sibi benè visum, & vtatur proprio sui Tribunalis Notario, nisi Notarius deputantis habeat Officium ex titulo oneroso, & ius scribendi etiam in criminalibus, num.2. Nullus Iudex in causis criminalibus procedat, nisi Procuratore Fiscali, vel Commissario Cameræ respectiuè citatis, num. 3. Nec extra Vrbem monitoria transmittat, nec aliquod iudicium ad instantiam Fisci, vel Commissarij Cameræ introducatur, absque Procuratoris Fisci, vel Commissarij Cameræ licentia, num. 4. Neque concedat significationes in causis coram eo non vertentibus, num.6. Non procedat pro simplici contrauentione, num.7. Contra contumaces quilibet Iudex procedat, num.8. Non citet sub mulcta pecuniaria, si habet inditia, num. 9. Non comminetur in Monitorijs pœnam corporalem maiorem pœna delicti, num.10. Non fiat inuentarium bonorum Rei, nisi agatur de delicto pro quo sit imponenda pęna Capitalis, vel confiscationis bonorum, aut alia notabilis pœna, num.11. Inuentarium non scribatur in registro, sed moderata merces à Notario recipiatur, num.12. Et vnicum fiat inuentarium, num.13. Querela Domini conuenti priùs pro mercede non recipiatur, nisi facto deposito, vel data simili cautione, & non nisi in eo Tribunali, in quo mercedis causa pendet, si iurisdictionem habeat criminalem, num.16. Captus à Iudice incompetenti, vel ab eo, qui non processit, remittatur ad eum, qui processit, sed captus ab eo, qui processit, non remittatur, etiam quod fuisset procedendo, vel in contumaciam, præuentum, num.17. Si ex pluribus delictis consortibus, quilibet aliquem habet carceratum, remittantur omnes ad eum, qui habet in manibus principaliorem, num.18. Interrogentur Rei per interrogatoria extensa, num.20. Responsiones reorum per extensum vti ab ore illorum profluunt, scribantur, etiam quòd sint contra Fiscum, num.21. Testes non interrogentur extraiudicialiter, nec si contra Fiscum deponant, dimittantur, num.22. Reorum recognitiones, vt fieri debeant, num.23. Non cogantur rei declarare, se habere testes pro ritè, & rectè examinatis, & si voluerint, earum declaratio recipiatur, cum clausula (pręter absentes, & mortuos, & saluis exceptionibus, & iure repetendi) num.27. Testes repetendi examinentur prius super interrogatorijs, num.28. Iudices Gubernatoris, vel alterius habentis facultatem procedendi præter, aut contra formam iuris quomodo ea vti valeant, num.29. Tormento Vigiliæ quando Iudices vti possint, num.30. Et tormento Funis non vltra horam pro qualibet vice, num.31. Et à verbis, & factis iniuriosis in testes, & reos se abstineant, num.32. In sententijs contumacialibus exprimantur pœnæ certæ, num.33. Reis in contumaciam condemnatis, & captis ante executionem sententiæ detur copia processus, & actorum, si petatur, etiamsi non sint admissi ad nouas defensiones, num.34. Inquisiti non cogantur abolitionem petere, num.35. Neque ad compositionem, num.36. Pœnæ omnes penès Depositarium Cameræ dumtaxat deponantur, num. 40. Nemo de eis aliquid retineat, sed à Depositario Cameræ recipiat, num.41.

Iudicũ Ciuilium Reformatio.

PRO Reformatione Iudicum ciuilium (vltra disposita in constit.58. & 59. Pij IV. & in const.27. Pij V.) decernit, quando Non grauetur concedi possint, §.11.num.1. Et quando ab alijs Iudicibus causæ reassumi valeant, num.4. & 5. Causæ mercedum quæ sint, vt depositum fieri debeat, num.6. Pro qua summa, quis carcerari possit, num.9. & 10. Significationes in vim commissionis pro dilatione, vel alternatiua obtinenda, vt concedendæ, num.11. Debitoribus solus Aud.Cam. det terminum 30. dierum num.12. Iudices causarum restitutionis in integrum absque alia commissione terminum præfigunt ad docen. de causis restitutionis, num.13. Et terminos substantiales reiterare, num.14. Mandata de manutenendo, vt dare possit, num.15. Et mandata suspitionis fugæ, num.16. & 17. Iuramentum calumniæ, vt præstandum, num.18. Pro periurio, in d. iuramento commisso, in eo Tribunali, vbi commissum est, Iudices non de facili procedant, num.19. Iuramenta litis decisiua, vt recipienda, num.20.

Iudicum tàm Ciuilium, quã Criminalium Reformatio.

PRO Reformatione Iudicum omnium tàm ciuilium, quàm criminalium (vltra disposita in const.58. Pij IV.) decernit, quòd nemo Iudicum domi suæ familiariter retineat Aduocatum aliquem, vel Procuratorem, etiam consanguineos, aut suæ Curiæ Notarium, §.12.n.1. Neque se ingerat in proponendis Aduocatis, Procuratoribus, vel Sollicitatoribus, n.2. Nec exerceat munus Aduocati, vel Procuratoris, n.3. Munera nullatenus recipiat, num.4. Nec fideiussorem, aut mutuum, n.7. Neque à Baroncellis suarum Curiarum quicquam recipere possint, nu.8. Innouat const. Greg. XIII. de datis, & receptis, n.9.

Sportularum & Propinarũ Reformatio.

PRO Reformatione Sportularum, & Propinarum (vltra disposita in const.58. Pij IV.) decernit, quod pro decreto mandati de Manutenendo, Moderationis, Inhibitionis, vel Taxationis expensarum Iudices nihil recipiant, §. 18. n.6. Declarat, qui decreta in contractibus interponant, n.8. & 9. Propinas receptas scribant in libro ad hoc à Notarijs retinendo, num.12.

Commissariorum Reformatio.

PRO Reformatione Commissariorum decernit, quoscumque Commissarios, eorumque Notarios in eorum ad Vrbem reditu, consignare debere scripturas, & omnia acta penès Notarium, vbi causa pendet, vel si dubium sit, apud eum Iudicem, apud quem Procurator Fiscalis elegerit, §. 14. num. 1. Notarijs, vt satisfacien. sit de eorum mercede declarat, num. 2. Commissarij, vt bona per eos

capta

capta deponere, & eorum mercedem consequi possint decernit, numer. 3. Commissarij qui eligendi sint exponit, num.4.

Procuratoris Fisci, & substitutorum Refor nu. 10.

PRO Reformatione Procuratoris Fisci, & Substitutorum (vltra disposita in constit. 58. Pij IV.) decernit, substitutos quocumque prætextu nihil à reis recipere, num. 5. Vigesimam Fisci Procuratori, & centesimam substituto de compositionibus, confiscationibus, & pœnis eorum interuentu incameratis persolui mandat, num. 19. Et cum substituti ad reformandos processus extra Vrbem mittuntur, vltra victus, & equorum impensas, tanta viatica recipiant, num. 10. Procurator Fisci septem Substitutos habere debet menstruo salario scutorum quinque eis constituto, num. 21.

Aduocatorum, Procuratorum, & Solicitatorum Reformatio.

PRO Reformatione Aduocatorum, Procuratorum, & Solicitatorum (vltra disposita in const. 44. Pij IV.) decernit qui ad procurandum admittendi sint, §. 18. numer. 2. 3. & 4. Aduocati, & Procuratores de bibalijs, se non immisceant, num. 5. Stipendia, nec vltra meritum, nec vltra taxas capiant, num. 6. De quota litis non conueniant, nu. 7. Vnum Procuratorem, qui pauperibus patrocinium præstet singulis annis deputent, cum salario competenti, num. 8. De gratijs registrorum, vt cum Notarijs conuenire possint, nu. 9. Procuratores, & Aduocati, Officiũ Notariatus non emant, neque cum Notario Societatem ineant, num. 10. Appellare pro eorum principalibus absentibus debent, vbi appellare licet, & causas committere, & fatalium prorogationem petere, num. 11. Causas pro viribus defendant, & secreta aduersarij non pandant, num. 12. Procuratores, & Solicitatores salarium non conuentum non petant, num. 13. Pridie eius diei, quo Rota agitur, Auditorum studia non perturbent, num. 14. Procuratores de Collegio, alios etiam antiquiores præcedant, num. 15. Qui pro vna parte patrocinium suscepit, pro altera nequaquam patrocinetur, num. 16.

Notariorũ Reformat.

PRO Reformatione Notariorum (vltra disposita in const. 44. & 58. Pij IV. & 26. Gregor. XIII.) decernit quod Notarij per se ipsos exerceant Officia, §. 19 nu. 2. Iuramentum calumniæ, vt recipiant, nu. 4. In causis à quinque scutis infra nihil scribant, nisi aliter Iudex mandauerit, num. 5. In eis, quid recipiant, num. 6. Terminum ad referendum pro alio Notario acceptum eadem die referant, num. 8. Ipsi, & eorum substituti non sint Procuratores in eorum Curia, nu. 10. Prouisiones extra Curiam, non expediant, nisi notato nomine obtinentis, & si sit Procurator, sit notus in Curia, nu. 11. & seqq. Mandata executiua, vt expedienda, nu. 13. Aliæq; expeditiones, nu. 14. Inhibitionis moderatæ fides non retardetur, nu. 15. Literæ missiuæ, vt dandæ, nu. 16. Summariaq; testium, num. 17. Emolumenta, vt adnotanda num. 18. Atthæ datio, vt recipienda, nu. 19. Manualia, Brolarda, & alij Libri, vt tenendi, num. 20. & 21. Examina reorum, & testium, vt scribenda, num. 22. Cursorum, & Mandatariorum relationes, vt recipiendæ, num. 23. 24. & 25. Sententiarum publicatio non retardanda, num. 26. Cedulę Depositorum statim registrande, num. 27. Copia Decretorum, & Scripturarum vnicuique petenti danda, nu. 28. Instantia, vel productio pro aliquo non præsente, non scribatur, nu. 29. Pro nullitatibus quis expensas reficiat, num. 30. Protestationes in Brolardo scribendæ num. 31. Mandata à Iudice non subscripta non expedienda, num. 32. Notario recusato vna merces ei, vel subrogato soluenda num. 33. Scripturæ à Notarijs vt custodiendæ, nu. 34. In officijs Notariorum nemo non approbatus à Superioribus recipiatur, nu. 35. Et ad Rogandum instrumenta, qui recipiendi, nu. 36. Quid in eis rogandis aduertere debeant, nu. 37. & seq. Disdictæ Societatum Officiorum, vt registrandæ, num. 39. Quid seruandum in nominatione, vel translatione periculi vitæ, nu. 40. Occasione tractatus aliquorum contractuum Notarij, & eorum Iuuenes nihil recipiant, num. 41. Instrumenta subscribat, qui ea confecit, nu. 42. Dierum illa extendantur, nu. 43. Et infra tres menses in prothocollum reducantur, n. 44. Testamenta, vt custodienda, num. 45. Copias omnium Actorum, & Instrumentorum, soluta mercede interesse habentibus dent, num. 46. Ad accipiendum instrumenta publica neminem cogant, num. 47. Taxa mercedis Instrumentorum quæ num. 48. & seqq. Circa legitimationes Spuriorum confirmatur const. Leonis X. edita pro Archiuistis, num. 54. Expensa mandati suspitionis fugæ, ad quem spectet, num. 55. Iuramenta suspicionis fugæ, mandatum speciale requirunt, num. 56. Sequestra vt concedenda, num. 57. Aduocati, Procuratores, & Solicitatores, pro fideiussoribus litis, non recipiantur, num. 58. Significationes dandæ quæ, num. 59. & seq. Responsiones ad articulos, & iuramenta litis decisiua, vt recipienda, num. 61. Notariorum circa decreta in causis Criminalibus merces quę, num. 62. & seqq. Notarij Cameræ quid circa anniatas, & obligationes seruare debent, num. 71. & seqq. Notarij Vicarij Vrbis non dent Monitoria generalia, nec particularia extra Vrbem, & districtum, neque censuras, neque terminum super obligationibus in forma Cameræ, num. 99. Pro examine, & literis Ordinandorum, quid percipiant, num. 100. Notarij Rotæ, quid seruare debeant circa Registra, Brohardum, Notas, Manuale, remissoriales, & expeditiones, nu. 101. & seqq. Paupertas vt probetur, num. 112. Notarij Capitolini quæ seruare debeant, nu. 118. Notarij locorum Piorum seruent taxam Notarij Vicarij Vrbis, nu. 121. Notarius Ripetta circa publicationem Instrumentorum seruet Statuta, nu. 122. Et circa extractus seruet normam Capitolinam, nu. 123. In prima instantia non fiat ibi extractus, nu. 124. Non det mandatum pro Indicijs absque Iudicis licentia, nu. 125. Singulis diebus apertum teneat Officiũ, nu. 126. Circa deposita recipienda, & consignanda quid seruare debeat, nu. 127.

Registrorũ Extractuũ & Copiarũ Reformat.

PRO Reformatione Registrorum, Extractuum, & Copiarum decernit, in causis à principio Ordinarijs non fieri registra, sed extractus, & quando, §. 20. num. 1. & seq. Secus in causis commissarijs, num. 3. Quæ in extractibus seruanda, & quæ in registris, num. 4. & seqq. Quid circa attham aduertendum, num. 22. Merces quando exigenda, nu. 23. Rotæ Notarij quid facere debent circa rubricationes, nu. 24. & seq. Pacta de parte lucri cum Aduocatis, Procuratoribus, & Solicitatoribus ne fiant, num. 26.

Cursorum, & Mandatariorũ Reformatio.

PRO Reformatione Cursorum, & Mandatariorum (vltra disposita in const. 58. Pij IV.) decernit, qui possint ad hæc officia admitti, §. 21. n. 1. & seq. Munus eorum quod n. 3. & seq. Circa citationes, & alia quæ seruare debeant, n. 5. & seqq. Et signanter circa commissiones appellationum, num. 18.

Baroncelli, & Executorum Reformatio.

PRO Reformatione Baroncelli, & Executorum (vltra disposita in constit. 58. Pij IV.) decernit vt taxam nuper editam obseruent, §. 22. num. 1. & seq. Pignora in executione capta consignent Depositario, num. 4. Et ab illo in libro describantur, num. 5. In subhastatione pignorum obseruanda quæ sint, num. 6. & seqq. Quid Executoribus credendum de cautione per eos recepta in executionibus, num. 8. Mandata Ciuilia, quibus diebus exequenda, num. 9. Et infra quot dies, num. 10. Ostensa inhibitione, nihil pro mercede Executores exigant, num. 11. Et eius copiam sumant, num. 12. Gratis restituant bona Iudice mandante, num. 13. In consignandis pignoribus, non morentur, num. 14. Qui Executores mandata alterius, quàm suæ Curiæ exequi possint, num. 15. Capti quando ad præsentiam Iudicis ducendi, num. 18. A carceratis nihil exigatur pro expensis factis in explorationibus num. 19. Omnes Baroncelli Extraordinarijs maioribus obediant, num. 20.

Carcerum, Carceratorumq; eorũq; Visitatorũ, & Custodũ Reformat.

PRO Reformatione Carcerum, Carceratorum, eorumque Visitatorum, & Custodum (vltra disposita in constit. 13. Pauli III. & 58. Pij IV.) decernit, carceres Curiæ Sabellorum, Turris Nonæ, & Capitolij, vt locati possint, §. 23. num. 1. Pro transportatione Carceratorum, occasione Visitationis, nihil recipiendum, num. 10. Citationes contra Carceratos non, nisi personaliter, fiant, num. 11. Arresta vt danda, num. 12. Alimenta debitoribus ex decreto Iudicis præstanda, vt deponi debeant, num. 13. Instrumenta satisdationum pro carceratis in partibus, vt recipienda sint, & producenda, num. 15. Iudicis pro mandato de excarcerando vt soluendus Cancellario Baroncelli, num. 16. Relaxari per horæ spatium

non

non carcerandi, num.17. Et relaxati ob non præstationem alimentorum, quando iterum carcerandi, num.18. Notas Carceratorum dent num.24. Infirmos pro causa ciuili ponant in Infirmaria, nu.25. Ducant detentos in carceribus publicis die quolibet ad missam, nu.26. Carcerandum quomodo in libro describere debeant nu.27. Nec prætextu alimentorum quicquam de vestimentis carceratorum retineatur, nu.28. Alimenta in secreris detenris aliunde delata non prohibeant, nu.29. A Carceratis in publicis nihil pro passegio, cameta, vel alimentis vltra quinque dies petant, nu.30. Pro transportatione ad alios carceres, vel extractione alicuius contractus nihil exigant Custodes, num.31. Quid pro arrestis exigat, n.32. Non permittant aliquem veriari cum Mulieribus carceratis, nu.33. Obediant Iudici in mandatis de excarcerando, si apponit clausulam absque alia manu, num.34.

Visitatorũ Carcerum facultates. DE facultatibus Visitatorum Carcerum (vltra dispositain const.44. Pauli III.) decernit, quòd Visitatorum arbitrio habeatur ratio paupertatis debitoris, naturæ debiti, & qualitatum creditoris, §.24.nu.15. Notarius causæ carcerati remaneat, etiamsi causa alteri Iudici committatur, num.16. Quòd in delatione Carceratis simpliciter data, intelligatur concessa etiam quoad executionem realem, num.17. Iudex, cui à Visitatoribus causa commissa est, cum carceratum relaxauit merita suo Iudici cognoscenda relinquat, num.18.

Protomedici, & Aromatariorũ Reformat. PRO Reformatione Protomedici, & Aromatariorum decreuit quod obseruare debēt Protomedici in visitatione Aromatariarum, §.25. num.1. Consules eorum sint illius iurisdictioni suppositi, num.2. Consilium Aromatariorum an ille sequi debeat, & quando nu.3. Proconsulem illi non eligant, num.4. Aromatarij absque licentia Consulum fidem recere possint, num.5. Pro pretio Aromatariæ, quæ præscriptio intret. nu.6. Aromatarij non exerceant iurisdictionem criminalem: Protomedicus verò solum, vbi venit imponenda pœna pecuniaria vsque ad aureos vigintiquinque, num.7.

Contra transgressores pœnas infligit, §.26. Et procedi mandat tam ex officio, & per inquisitionem, quàm ad instantiam quorumcumque, §.27. Omnesq; etiam Maiores Magistratus hanc constitutionem comprehendere decernit, §.28. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §.29. Contrarijs derogat, §.30.

Schol. primum.

Quæro. In casibus non tactis in hac Reformatione, non erunt seruandæ aliorum Pontificum constitutiones?

RESP. Erunt, quia hic in principio tolluntur solummodo constitutiones contrariæ, ideo casus omissi remanēt decidendi iuxta antiquiores constitutiones l. præcipimus 32. Cod. de Appellat. & in nostris terminis Paris. cons.56. lib.2. num.25.

Schol. secundum.

Quæro. Si aliquod emerserit dubium circa intelligentiam huius Reformationis, poteritne sumi declaratio ab antiquioribus constitutionibus?

RESP. Poterit iuxta communem DD. sententiam, de qua in l. sciendum 15. ff. Qui satisd. cogant. Olasc. qui alios cumulat in decis.167. n.17. vbi amplíat etiamsi ista Reformatio diceret eius verba ad literam intelligi debere.

LXXII.

Edita Anno 1611.

CVm nos nuper generali, & infra, pag.286. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat nuper eo mandante editas fuisse taxas Notariorum, & Officialium Vrbis, easque confirmat, §.1. Obseruariq; mandat, §.2. Et in loco publico retineri, §.3. Easdem taxas postea subijcit, quæ summari non possunt, §.5. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Ista constitutio dicetur ne fauorabilis, & latè interpretanda?

RESP. Ita quidem, quia tendit ad emendationem abusuum, vt in ea legitur Scribb. in l.1. Cod. de Sacros. Eccles. Dec. conf.65. num.1. & seq. Marsil. in Pract. crim. §. Aggredior, nu.59. & 65.

Schol. secundum.

Quæro. Quid dicis, cum sit pœnalis?

RESP. Fauorabilis adhuc censetur, Bal. in l. Benignius 17. de Legibus, num.2. Marsil. in repetit. l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud.

LXXIII.

Edita Anno 1612.

CVm sicut accepimus, & infra pag.308. *Item*, Cum post aliquas, & infra, pag.309. Bullarij.

COMPENDIVM.

Constitutionem 71. de qua supra pagina 58. super Reformatione Romanæ Curiæ editam declarat in eius, §.19. nu.16.36.37.11.36.62. & 122. Declarat etiam d. const.44. in eius, §.20. nu.23.25.3. Declarat etiam eamdem const.44. in eius, §.21. nu.21. Et addit quinque baiochos accipi posse pro citatione exequenda contra Episcopum, aut aliam personam qualificatam. Declarat eamdem suam constit.44. in §.4. nu.14.4. Declarat antecedentem const.44. in eius, §.1. num.165.166. & 184. Declarat eamdem constit.44. in eius, §.2. nu.17. & 69. Declarat etiam d. constir.44. in eius, §.4. & in §.5. num.16. & 61. Declarat eamdem constit.44. in eius §.6. nu.44. & in §.7. nu.4. Et ita, & non aliter iudicari præcipit, contrarijsq; derogat.

Schol. primum.

Quæro. Ista declaratio constit.71. dicetur forsan noua dispositio?

RESP. Non, qui enim declarat, nihil de nouo facit, sed iam factum aperit clem.1. de Iur. Patr. cum alijs congestis à Gabr. in tit. de Regul. iur. conclus. 3. nu.1. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Trahetur itaque ad præinserta ista lex declaratoria?

RESP. Ita sanè, quia lex declaratoria dicitur inesse legi declaratæ Alex. cons.7. lib.2. num.4. latè Gabr. vbi supra num.9. & seq.

LXXIV.

Edita Anno 1612.

MOnialium statui, quæ sæcularia, & infra, pagina 309. Bullarij.

COMPENDIVM.

Licentias quascumque ingrediendi Monasteria Monialium, aut cum eis conuersandi, & corporalem refectionem sumendi, sub quibuscumque tenoribus, & formis, cuicumque, & cuiuscumque conditionis etiam Marchionalis, & Ducalis concessas reuocat, §.1. Eis vtentibus pœnam excommunicationis latæ sententiæ imponit, §.2. Abbatissis, & Superioribus illas admittentibus eamdem pœnam, ac priuationis Officiorum, & inhabilitatis ipso facto incurren. infligit, §.3. Executores huius constitutionis deputat, §.4. Contrarijs omnibus derogat, §.5. Transumptis huius bullæ credi iubet, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Si licentiæ post hanc diem concedantur, erit ne seruanda constitutio 52. de qua supra pag.53. circa vsum earum?

RESP. Sine dubio, tùm quia hæc lex est reuocatoria concessarum, tum etiam quia correctio prioris legis est in dubio euitanda l. voica, §. his tantummodo cum ibi not. Cod. de Caduc. tollend. Roman. cons.57. num.3. & seq. vbi bonum refert exemplum.

Schol. secundum.

Quæro. Monasterij appellatione quid venit dum prohibetur ingressus ad illud?

f RESP.

RESP. Claustrum, Domus, & Officinæ interiores, & receptaculæ, & hic non Ecclesia, nec domus Monasterio cōtiguæ, vbi extant Monialium seruientes, vel crates, & locutoria Roder. de Quæst. Regular. to. 1, quæst. 46, art. 1, vers. Et aduertendum.

LXXV.

Edita Anno 1612. IN Sede B. Petri meriti, & infra, pagina 310. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Vrbem nouis Templis, Aedificijs, Vijs, alijsq; modis illustrasse, §. 1. Eamdem Aquarum fœcunditate illustrare volens Aquas multas à locis ab Vrbe longè distantibus magno sumptu, maximaq; omnium lætitia, voo Aqueductu, ad eam duci fecisse, §. 2. & 3. Et modo pro Aquarū, & Aqueductus cura, & conseruatione, Congregationem Aquæ Paulæ nuncupandam erigit, §. 4. Protectorem dictæ Congregationis Cardinalem Burghesium deputat. §. 5. Secretarium dictæ Congregationis Io. Iacobum Bulgarinum eligit, §. 6. Congregationis authoritatem, & iurisdictionem præscribit, §. 7. Visitatores aqueductus duos esse, deputatiq; mandat, §. 8. Loca docenta Montis non vacabilis pro dote assignat, cuius fructus pro Aqueductus conseruatione deseruiant, §. 9. Obseruantiam præmissorum iniungit, §. 10. Contrarijs derogat, §. 11. Sanctionem pœnalem apponit, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Franciscus Compater noster, per cuius prædia Aquæductus commeat, poterit io dextra, læuaque formarum illius, arbores habere, vt exoptat?

RESP. Non, nisi quindecim pedibus intermissis, & si quo tempore pullulauerint, excidentur, ne earum radices fabricæ formā corrumpant l. 1. Cod. de Aquæduct. lib. 11, vers. Præterea, & notat Bart. ibid. nu. 1.

Schol. secundum.

Quæro. Fontium opus huiusmodi, Sanctum dici poterit?

RESP. Audi Frontinum de Aquæductibus sic dicentem, *Fontium memoria Romæ, cum sanctitate adhuc extat, & colitur*. Refert hoc idem Petr. Gregor. Tholos. in Syntagm. iur. lib. 3. cap. vlt. ou. 2. vbi subdit, quòd salubritatem etiam ægris corporibus afferre solet.

LXXVI.

Edita Anno 1612. SEdis Apostolicæ circumspecta, & infra, pagina 312. *Item*, Aliàs fel. record. Clementi Papæ VIII. & infra, pagina 312, Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat potestatem Deputatis à Capitulo Conuentuali Eremi Montis Senarij Ordinis Fratrum Seruorum Beatæ MARIAE, Nouitios recipiendi §. 1. & 2. Mitigatq; eorum ieiunium in pane, & aqua, pro quarta Feria, §. 3. & seq. Quibuscumque non obstantibus, §. 6.

Schol. primum.

Quæro. Si in Secunda, & Sexta Ferijs, in quibus tenentur ieiunium in pane, & aqua, occurrat aliquod Festum solemne, quid agendum de ieiunio?

RESP. Superior Eremi illud anticipat, vel transfert, sed non remittit, vt expressè cauetur in cap. 19. Nouarum Eremi Constitutionum à Paulo V. anno 1612. confirmatarum, & Florentiæ anno 1613. impressarum.

Schol. secundum.

Quæro. Ieiunium huiusmodi, in 13. iiij. & vj. ferijs fuit ne antiquis temporibus in pane, & aqua obseruatum?

RESP. Temporibus Pij I, qui ad Petri solium ascendit anno 154. cognitum, & obseruatū fuisse liquet, ex c. 1. caus. 22. q. 5. vbi glos. vltima eas tres ieiuniorum Ferias, de quibus text. loquitur Secundam, Quartam, & Sextam esse declarat, & fusius prosequitur Azor. de Institut. Moral. tom. 1. lib. 7. pag. mihi 823.

LXXVII.

QVoniam fraternitatis tuæ nomine, & infra, pag. 313. Bullarij. Edita Anno 1612.

COMPENDIVM.

Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno benedictionem Apostolicam impartitur, §. 1. & 2. Dat eidem facultatem alios Maronitas authoritate Apostolica, semel tantùm, benedicendi, §. 3. Benedictioniq; interessentibus, Confessis, ac Sacra communione refectis, remissionam peccatorum elargiēdi, §. 4. Deum precatur, vt ipsum Patriarcham, totamq; Maronitarum nationem sua impleat benedictione, §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Sola benedictio Papæ, de qua in §. 5. quid importat?

RESP. Remittit peccata venialia his, qui non sunt in peccato mortali, glos. fin. cōmuniter approbata in procem. 6. Decretal. Io. Francis. Leon. in Thesaur. Fori Eccles. cap. 6. de Benedict. & Vitalin. in procem. Clemen. n. 63.

Schol. secundum.

Quæro. Maronitarum Patriarcha accessit vnquam ad aliquod Concilium generale?

RESP. Accessit ad Lateranense sub Innocentio III. celebratum, vbi plenissimè res spectantes ad Catholicam fidem, ritusq; Sacros edoctus, suos eosdem sequi voluit, sicq; perstiterunt immobiles in Sancta fide Catholica, licet semper infidelium pressuris agitati, vt scribit Baron. in Annalibus Eccles. to. 12. anno 1182. ad finem pag. mihi 766.

LXXVIII.

ROmani Pontificis prouidentia, & infra, pagina 313. Bullarij. Edita Anno 1612.

COMPENDIVM.

Seminarium in Vrbe erigit pro Fratribus Discalceatis Carmelitis Congregationis Italiæ, §. 3. Vt diuersas Linguas, & scientias edocti ad Hæreticorum, Schismaticorum, Sarracænorum, Gentilium, & Iudæorum, aliorumq; Infidelium conuersionem, ab eorum Superioribus mitti possint, d. §. 3. Priuilegia quorumcumque Ordinum elargitur, §. 4. Clausulas huius legis præseruatiuas apponit, §. 5. Contrarijsq; derogat, §. 6. Huius Bullæ transumptis credi iubet, §. 7.

Schol. secundum.

Quæro. Nonne Iudæi, & Gentiles veniebant sub nomine Hæreticorum, de quibus in §. 3.?

RESP. Largè Hæreticorum in sumpto vocabulo, veniebant etiam Iudæi, & Gentiles, non autem propriè, & strictè Scribb. in cap. 3. de Hæret. & etiam Pegna in Director. Inquisit. p. 2. pag. mihi 167. secundum impressionem de anno 1587. Romæ.

Schol. primum.

Quæro. Inter varias linguas, de quibus in §. 3. quæ præcipua?

RESP. Latina, vt pluribus demonstrat Baron. in Annal. Eccles. tom. 1. pag. 90. & seq. secundum impressionem Romæ de anno 1588.

Aliàs

LXXIX.

Edita Anno 1613.

ALiàs per nos accepto, quòd, & infra, pagina 314. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ad reprimendum ambitum Monachorum Congregationis S.Bernardi Cistercienfis in Italia, prohibet eisdem extra Religionem fauores conquirere ad obtinendos honores in ea, necnon gradus, & dignitates, §.1. Ambientibusque, & Superioribus eorum fauores attendentibus pœnas infligit, §.2.& 3. Contrarijs derogat, §.4. Hanc legem in Monasterijs publicè legi mandat, §.5. Transumptisq; huius Bullæ credi iubet, §.6.

Schol. primum.

Quæro. Cuius naturæ sunt ambitiosi?

RESP. Ambitiosus semper est pauidus ne quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat Curias, visitat optimates: Assurgit, & amplexatur; Applaudit, & adoratur: Vbi putauerit displicere improbat mala, detestatur iniqua, sed cum alijs probat, & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab omnibus, vt à singulis approbetur. Hæc, & alia refert Archidiac.in cap.3.dist.47. num.2. cui adhæret Petrus Andreas Gammarus in repertit.extrauag. Iul.II. de Simon.Papæ electión.sub num.102.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ proponeres spiritualia remedia ad ambitum reprimendum?

RESP. Longa verborum serie opus esset, quam non admittit hæc breuis nostra discussio, Perlege Ioan. Busæum Societatis IESV Theologum in sua Summa Remed. contra animi morb.in §. Ambitio, vbi quamplura scitu digna cumulauit.

LXXX.

Edita Anno 1614.

PAstoralis nostra solicitudo, & infra, pagina 315. *Item*, Nuper à nobis, & infra, pagina 315. Bullarij.

COMPENDIVM.

Electiones Prioris generalis aliorumq; Officialium, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini decernit in Capitulis fieri per suff ... secreta & clausa, non aperienda, nisi datis omnibus suffragijs, §.1. Quibuscunque non obstantibus, §.2. Huius sanctionis publicationem in congregatio ne Vocalium fiendam, sufficere declarat §.3. Prædictorum electiones, absque Scriba fieri mandat, §.4.& 5. Aliorum autem per fabas secretas fieri iubet § 6. Et ita & non aliter iudicari decernit, §.7. Contrarijsq; derogat, §.8. Publicationem huius declarationis in capitulo Conuentuali Monasterij de Vrbe, vbi Prior generalis, & Procurator generalis, & Assistentes esse debeant factum sufficere decernit, §.9. Transumptisq; credi iubet, §.10.

Schol. primum.

Quæro. Si quis in suo voto diceret, Eligo Petrum, vel Andream, vel eligo, quem Ioannes elegerit, rectè ne suffragium ferret?

RESP. Non, quia esset incertum text. est & ibi Glos. & Doctores in cap.2.de Elect.in 6. Et exinde fiet, quòd aliorum vota illis rejectis essent attendenda, Rodet.de Quæst. Regul.tom.2.quæst.51.art.4.

Schol. secundum.

Quæro. Erit ne idem dicendum, de eo qui in vrnam posuit schedulam albam?

RESP. Idem, quia non eligendo, sed actum frustratorium faciendo, videtur suæ voci renunciare, ita scribit Roderic. vbi sup.art.13. per ea, quæ dixit Panormit. in capit. Cum nobis 19. de Elect.num.3.

LXXXI.

Edita Anno 1614.

INter Pastoralis officij curas, & infra, pagina 316. Bullarij.

COMPENDIVM.

In Vrbe institutum fuit opus Scholarum Piarũ ad pauperes, in litteris, & bonis moribus gratis erudiendos, §.1. Quod vt perpetuò duret, hic Pont.eius curam, & regimẽ delegat congregationi Clericorum sæcularium in commu ni viuentium B.MARIAE, deficientibus præsentib. Præfectis earundem Scholarum, §.2. & seqq. Eorum congregationem de cætero Congregationem Matris DEI nuncu pari decernit, §. 5. Has literas perpetuò durare declarat, §.6. Ita, & non aliter iudicari præcipit, §.7. contrarijsque derogat, §.8.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore, quauè causa, hoc pium opus introductum fuit?

RESP. Circa annum 1597. in Parochiali Ecclesia Sanctæ Dorotheæ, regionis Trãstyberim initium habuit pro ut à D.Iosepho Calasantio Clerico sæculari, dictarum piarum Scholarum primo Præfecto, & alijs pariter Clericis sæcularibus eiusdem Socijs accepi, Quia experientia compertum est, quamplures in Vrbe pueros, & iuuenes, ob inopiam improuidos fuisse in flagitia. Vnde cum Ambros. in Exameron. dici posse videtur. *Quod cum pauperias hos inopes cogeret ad crimina, deficerentque humana præsidia, diuina miseratione eis salubriter promissum fuit*.

Schol. secundum.

Quæro. Regimen istud fuit, nè à dicta congregatione B. MARIAE assumptum?

RESP. Non, & ideò hic Pont.aliam instituit congregationem, cui illud demandauit, vt in eius diplomate, cuius hic habes tenorem.

PAVLVS PAPA QVINTVS,
Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea, per quæ Christi fideles pijs moribus, & doctrina maturè imbuantur solicitæ considerationis dirigentes intuitum, ea, quæ proinde interdum facta sunt, nostis ita suadentibus causis, immutamus, ac aliàs vt pium, & maximè laudabile opus pauperes erudien. & instituen. huiusmodi, in dies magis ad Dei gloriam promoueatur officij nostri partes fauorabiliter interponimus, prout personarum, & temporum qualitatibus pensatis conspicimus salubriter in Domino expedire.

§ 1. Aliàs siquidem cum accepissemus, quòd opus Scholarum Piarum à nobis in Vrbe nostra ad pauperes erudiendos, & instituendos erectarum vberes fructus ferebat, Nos salicitemsdem operis progressui consultum esse cupientes, curam, regimen, & administrationem dictarũ in Vrbe erectarum, & aliarum Piarum Scholarum, pro tempore erigendarum Dilectis filijs Præposito generali, & Clericis sæcularibus Congregationis Beatæ MARIAE cum certis

tunc expressis conuentionibus inter eos, & dilectum etiam filium Præfectum Scholarum huiusmodi, de consensu Venerabilis fratris nostri Benedicti Episcopi Prænestin. Cardinalis Iustiniani nuncupati, earundem Scholarum Protectoris initis, commisimus, & demandauimus, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Breuis sub die 4. Ianuarij 1614. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis haberi volumus, plenius continetur.

§. 2. Cum autem sicut accepimus Clerici Sæculares præfati bonorum stabilium possessione se abdicare nolint, propterea quòd alijs muneribus, & exercitijs, iuxta Regularia eiusdem Congregationis instituta, Apostolica authoritate confirmata, ne vacent, impediri se sentiant, & huiusmodi exercitijs potius operam dare, quàm prædictas Scholas regera malint.

§. 3. Ne tam pium, ac præsertim pauperum liberorum Christianæ educationi, & eruditioni proficuum opus aliquod propterea detrimentum patiatur, quantùm cum Domino possumus, prouidere volentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, literas nostras prædictas, omniaque, & singula in illis contenta Apostolica authoritate tenore præsentium reuocamus, cassamus, & annullamus, ac reuocatas, cassatas, & annullatas, nullius; roboris, vel momenti esse, & fore decernimus, & declaramus.

§. 4. Præterea in domo earundem Scholarum Vrbis prædictæ vnam Congregationem Scholarum Piarum ab vno Præfecto regendam, & gubernandam, quæ de cætero perpetuis futuris temporibus, Paulina Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupari, nec vltra viginti ab Vrbe milliaria extendi, neque vllum locum, in quo Scholæ Piæ non sint, domibus nouitiorum exceptis habere, & qui eidem Congregationi nomen dare voluerint, finitis duobus probationis annis, omnes, tàm ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoti, & Clerici charactere dumtaxat insigniti, quàm Fratres operarij tria simplicia Vota, Paupertati videlicet, ac Castitatis, & Obedientiæ, super quibus à nemine, præterquam à Romano Pontifice pro tempore existen. dispensari possit, emittere, & gratis, & nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario accipien. pueros in primis elementis, Grammatica, compnto, ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis erudien. bonis, & pijs moribus imbuen. ac denum Christiano more educandos, operam, laborem, ac studium conferre debeant, sine alicuius præiudicio de nouo erigimus, & instituimus, ita videlicet, vt qui simplex paupertatis votum, vt præfertur, emiserint; quamdiu in præfata Congregatione permanserint cuiuscumque dominij iuris, & proprietatis incapaces sint, idemque paupertatis Votum, summam in ijs paupertatem inducat, tàm in particulari, quàm in communi, itaut nihil omninò iuris habeant, sed nec habere, aut acquirere quouis titulo possint in bonis, seu ad bona, quæ vocantur immobilia, vel quæ pro immobilibus habentur, huic verò paupertati omnia ad eorum vsum pertinentia, cibos, vestes, supellectilem, tàm Sacram, quàm profanam statui, & instituto conuenientia, domos verò, hortos contiguos domibus Ecclesias, Sacristias, Oratoria, ac Scholas, & huiusmodi immobilia, quæ pariter vsui eorum destinantur, similiter conuenientia, vt prædicitur, & prætcrea in dominio Romani Pontificis pro tempore existentis, mobilia verò in dominio ipsorum in communi tantum esse debere, similiter decernimus, & declaramus.

§. 5. Dictarum verò in Vrbe, & extra eam infra viginti milliaria erectarum, & pro tempore erigendarum Piarum Scholarum, & Congregationis prædictæ sic erectæ præfecturam, curam, regimen, & administrationem Dilecto filio IOSEPHO Calasantio, Scholarum prædictarum nunc Præfecto ad nostrum beneplacitum committimus, & demandamus, ita quòd liceat Iosepho, & Congregationi huiusmodi earundem, & aliarum Scholarum huiusmodi simul atque erectæ fuerint bonorum corporalem, realem, & actualem possessionem præsentium vigore capere, & apprehendere, & illa in Scholarum prædictarum beneficium possidere.

§. 6. Insuper duodecim eiusdem Congregationis Clericis, qui votum Paupertatis, vt præfertur emiserint, vt arbitrio nunc, & pro tempore existentis apud nos, & Sedem Apostolicam earundem Scholarum Protectoris ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, à quocumque maluerint catholico Antistite gratiam, & communionem eiusdem Sedis habeate, ad titulum Paupertatis huiusmodi promoueri, & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare, dummodo tamen ad hoc idonei reperti fuerint, ne que aliud illis canonicum obstet impedimentum, ita tamen, quòd si ex dicta Congregatione exire, siue emitti contigerit, tamdiu suspensi ab executione Ordinum susceptorum remaneant, quamdiu in redditibus tantum habuerint, quantum ad congruam eorum sustentationem sufficiat.

§. 7. Insuper Iosepho, & Congregationi huiusmodi de consensu dicti Benedicti Episcopi, & Cardinalis, ac pro tempore existentis Protectoris, vt pro fœlici Congregationis prædictæ, illiusque Domorum, & Scholarum regimine quæcumque Statuta, Capitula, Ordines, & Decreta necessaria, & oportuna, licita tamen, & honesta Sacrisque Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, non contraria per Apostolicam Sedem approbanda, & confirmanda facere, & edere, illaque pro tempore prout eis videbitur, & expediens fuerit, prævia simili approbatione, mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare, liberè, & licitè valeant Authoritate, & tenore paribus concedimus, & indulgemus.

§. 8. Decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Præfecto, eiusque socijs prædictis, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quocumque quauis authoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

§. 9. Non obstantibus literis nostris prædictis, ac quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 6. Martij 1617. Pontif. Nostri Anno Duodecimo.

LXXXII.

Onerosa pastoralis officij cura, & infra, pagina 316. Bullarij. Edita Anno 1615.

COMPENDIVM.

Ne pecuniæ Montium Pietatis Status Ecclesiastici, ad vsus pauperum mutuo dandæ, in alios vsus conuertantur, decernit, pecunias quascunque ad hos Montes pertinẽtes, tàm pro sorte principali eis assignatas, quàm pro eius augmento postea requisitas, in alios, quàm pauperum vsus iuxta formam in erectione præscriptam, conuerti non posse

posse absque Sedis Apostolicæ licentia, §.1. & 2. Imponit pœnas contrauenientibus, §.3. Derogatque contrarijs, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Pecuniæ appellatione quid veniet in hac prohibitione?

RESP. Pecuniæ verbum latissimum est, & in hac fauorabili dispositione libenter dicerem, eius nomine omnia contineri, quæ ad pecuniam reduci possunt l. Nam quod 14. §.fin. ff.ad Trebellian. vbi glos. & Scribb. Sed contrarium cogor respondere ponderando illa verba (*mutuo dent da*) quæ pecuniam dumtaxat numeratam significant, vt in casu simili censuit Rota in decil.Seraphini 965. in Nouiss. num.2. iuncto principio.

Schol. secundum.

Quæro. Si ante hanc prohibitionem Officialis aliquam pecuniæ Montis partem, quam vltra quantitatem verisimi liter pauperibus mutuādam superesse credebat, in aliquod aliud beneficium Montis expendisset, erit ne excusatione dignus?

RESP. Excusan. putat Franc. Curt.Iun. in consil.19.libro 1.num.16. eo quòd bona fide id egerit, & sine dolo, & eius sententiæ adhæret Tib.Decian. lib.8. sui tract.crimin. cap.32. sub num.9.

LXXXIII.

Edita Anno 1615.

Alias fel.record. Sixtus Papa V. & infra, pagina 317. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat Sixtum Quintum in sua constit.7.de qua supra pag.113. to.2. formam recipiendi Nouitios ad Religionē præscripsisse, §.1. Eiusdemq; Pont.mentti satisfieri, ex inquisitione, quam secundum sua instituta à Sede Apostolica confirmata Congregatio Clericorum Regularium S.Pauli decollati in illis recipiendis facere consueuit, §.2. Subdit eandem congregationem pro opportuna prouisione sibi supplicasse, §.3. Indulget itaque eidem congregationi, Nouitios de voto Præpositi generalis, & quatuor Assistentiū ad habitum, & Religionem admitti, §.4. Et in reliquis dictam Bullam Sixti V. seruari præcipit, §.5. contrarijsq; derogat, §.6.

Schol. primum.

Quæro. In religione, in qua vna die Nouitius induitur tunica, vel imponitur nouum nomen, & in alia, in Missa solemni induitur scapulari, vt fieri cōsueuit inter Monachos, à quo die incipiet annus Nouitiatus?

RESP. A secunda die, quia tunc verè datur habitus religionis & ita censuit Iacob.Graff. lib.3. pat.1. suarum decil. cap.5. num.17. & 71.

Schol. secundum.

Quæro. An statim finito anno probationis Nouitius erit à religione repellendus, vel ad professionem admittendus?

RESP. Affirmatiuam sententiam videtur tenuisse Roderic.de Quæstion.Regul.tom.3. quæst.15.art.10. in fine. Sed contrariam, quæ verior est, tenentiam, nempè Prælatū ex iusta causa arbitrio suo tempus illud prorogare posse, probauit Graff. vbi supra num.16. vbi testatur inuenisse decisum à Cardinalibus congregationis super interpretatione Concilij Tridentini.

LXXXIV.

Edita Anno 1615.

IN supereminenti Apostolicæ Sedis specula, & infra pagina 317. Bullarij.

COMPENDIVM.

THEODORVS Episcopus Padebornen. Sacri Imperij Princeps Collegium Societatis IESV à Præposito d.Societatis regendum, ad promouendum religionem, & bonas artes in sua Ciuitate Padebornen.construi fecit, reditusq; assignauit, §.1. Et in dicto Collegio Vniuersitatem Studij generalis ad Catholicæ fidei profectum ab isto Pontif. institui petit, §.2. Qui proptereà eam instituit, §.3. Regiminiq; Societatis IESV supponit, §.4. Gratijs, & priuilegijs similium Studiorum generalium exornat, §.5. Rectori illius facultatem Studentes ad gradus promouendi concedit, §.6. Promotis gratias, in similibus Studijs promotis competentes elargitur, §.7. Præposito generali Societatis IESV authoritatem statuta pro bono eius regimine cōdendi tribuit, §.8. Eiusque Officiales, & Ministros deputandi ibid. Bona, & iura ab ipso Theodoro concedenda, dicto Collegio, eidem perpetuò applicat, §.9. clausulas huius constitutionis præseruatiuas apponit, §.10. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §.11. contrarijsq; derogat, §.12.

Schol. primum.

Quæro. Si hoc Collegium non esset expressè confirmatum, sed Papa de eo mentionem fecisset, diceretur illud confirmasse?

RESP. Ita sane, si ex certa scientia Papa id fecisset ad scripta per Innoc.in cap.3.de offic. Ordinar. num.2. Butr. Panorm.& Felyn.in proœm. Decret.Panormit. consil.55. lib. 1. num.4.

Schol. secundum.

Quæro. Huiusmodi Collegium annumeratur inter beneficia Ecclesiastica?

RESP. Non, quia nemini confertur, nec debetur graduatis, aut nominatis ad beneficia Petr.Greg.Tholos. lib. 15. Syntag.iuris cap.32.num.8. vers. Hæc porrò.

LXXXV.

Apostolicæ Sedi, per abundantiam, & infra, pag.318. Bullarij. Edita Anno 1615.

COMPENDIVM.

Enarrat, Pium V. ad restituēdam Sacrorum rituum obseruantiam in Sacrificio Missæ, diuinoq; Officio, & ad tenendum vnum psallendi, & orandi ordinem, Breuiarium in sua const.64. de qua sup.pagina 53. tom.1. edidisse, & in alia const.106 de qua sup.pag.65.to.2. Missale Reformatum approbasse, §.1. Clementemq; viij Episcopis, & inferioribus Prælatis Pontificale in constit.38. de qua hic sup. pag.12. restitutū dedisse, Et Ceremoniale, pro ceremonijs in Cathedralibus, & inferioribus Ecclesijs in const.69. de qua hic supra pag.21. ordinasse, §.2. Et modo hic Pont. Rituale edit, pro norma rituum, in administratione Sacramētorum, alijsq; Ecclesiasticis functionibus, obseruandorum §.3. Hortatur Episcopos, & alios, vt inuiolatè illud obseruent, §.4.

Schol. primum.

Quæro. Tanta igitur est Sacrorum Rituum à Catholica Ecclesia approbatorum obseruantia?

RESP. Tanta quidem, vt qui illos, in solemni Sacramentorum administratione contemni, aut sine peccato, à Ministris pro libito omitti, aut in nouos alios mutari posse dixerit, anathema sit ex dispositione Concil. Trid.sess.7. de Sacramen. Can.13. Ideoque post d.Concil. & iure quidem Pius iv. in constit.38. de qua supra pag.26.to.2. decreuit, vt promouendi ad gradus, & dignitates, in fidei professione, huiusmodi ritus expressè debeant approbare.

Schol. secundum.

Quæro. Quid est ergo quod audio, Hæreticorum ritus, aliquando Ecclesiam Catholicam tolerasse?

RESP. Tolerauit, quando magna erat infideliū multitudo, vt paulatim sic tolerati, conuerterentur ad Catholicam fidem, ita scribit Præposit.in c.4. dist.45. num.5. versic. propter hoc, & Turrecremat.ibid.sub num.1. versic. Aliorum verò; vbi tamen subdunt, quòd non propria Ecclesia illis ritibus consensit, prout neque hodie ritibus Iudæorum, quos tolerat, consentit, sicut latè ipsi ibidem prosequuntur.

LXXXVI.

Edita Anno 1615.

IMmensæ bonitatis creator omnium Deus, & infra pagina 319. Bullarij.

COMPENDIVM.

B. MARIAE nonnulla ex innumeris merita, & laudes narrat in proœm. Eamque se semper adiutricem habuisse, & eius Imaginem in Basilica S. MARIAE Maioris de Vrbe asseruatam præcipuè coluisse, & ideò in illius honorem, nouam Capellam in eadem Basilica erigere, & d. Imaginem ad eam transferri deliberauit, §. 1. Pro dicta Capella insignem locum & ambitum elegit, §. 2. Altare ibidem mirificè exculptum gemmisq; pretiosissimis ornatum erexit, §. 3. Ad Capellæ limina, Sacellum S Franciscæ, & S Caroli extruxit, §. 4. In loco Capellæ monumentum Clementi VIII. posuit, & aliud sibi ad sepulturam reseruauit, §. 5. In vestibulo sepulchrum pro sanguine sibi coniunctis collocauit, §. 6. Sacristiam ad dictæ Capellæ vsum, pluresq; ad maiorem commoditatem mansiones ædificauit, §. 7. Ad d. Capellam postea Imaginem ipsam transtulit, §. 8. Pro cuius maiori veneratione Sacra ibidem, & diuina officia celebrari decreuit, §. 9. Vnum ideo Prioratum, duodecim Capellanias, & quatuor Clericatus in ea instituit, §. 10. Et ex eis Sacristiam, & Camerarium eligi mandat ibid. Dotem omnibus assignat, §. 11. Aliam dotem Capellæ concedit, §. 12. & seq. Patrono Capellæ facultatem capiendi possessionem bonorum Capellæ concedit, §. 14. Ex eorum redditibus Patronus expendet arbitrio suo pro salario Cātorum, & Scopariorum, & alijs Capellæ vsibus, §. 15. Munus Prioris, Sacristæ, Camerarij, Capellanorum, & Clericorum præscribit §. 16. Prædicti Collegium faciunt, & habent insignia Collegialia. §. 17. Sacrista à Patrono deputatur, §. 58. Qui bona Capellæ alteri non concedat, §. 19. Camerarius à Priore, & Capellanis eligitur, §. 20. Camerarij munus, quod, §. 21. & seq. Scoparius à Patrono deputatur cum salario scutorum 100 § 23. Scopario, & Clericis vestes talares coloris violacei anno quolibet dentur ex redditibus capellæ, §. 24. Festa celebranda in d. capella, & Litaniæ decantandæ quæ §. 25. Salarium Cātorum, & Ministrorum quod §. 26. Prior, & capellani intersint dictis Litanijs, §. 27. Clericorum deputatio à Patrono fiat, & Priori, capellanis, & Sacristæ deseruiant, §. 28. Prędictorum omnium Salarium quod §. 29. & seq. Et vbi eorum habitatio, §. 31. Officia hæc resignari non possint, neque permutari, §. 32. Prior capellani, & clerici exempti sunt à seruitijs d. Basilicæ, §. 33. Capitulum, & canonici d. Basilicæ quando celebrare debent in capella, §. 34. & seq. Custodia Sacræ imaginis ad quem spectet, §. 36. Tabernaculum eius quando aperiendum, §. 37. & seq. Cura ornandi Sacram Imaginem cui incumbat, §. 39. Lampadumque, & candelarum perpetuò ibi accensarum, §. 40. Reliquiæ extra capellam non asportentur, §. 41. Legata, & pallia iam data capellæ remaneant capitulo cum onere ornandi capellam, §. 42. Largitiones de cætero spectent ad capellam, §. 43. Collegio capellæ communicantur priuilegia similium Collegiorum, §. 44. Omnes personæ d. Capellæ subijciuntur iurisdictioni Patroni capellæ, §. 45. & seqq. Protectio capellæ ad quem spectet, §. 48. Facultas eius condendi statuta, §. 49. Cognoscendique omnes causas capellæ, §. 50. Disponendique de mansionibus capellæ adiacentibus, §. 51. Iuspatronatus constituitur, & forma succedendi datur, §. 52. Cardinali Burghesio datur facultas conferendi Prioratum, & capellanias, necnon ad nutum deputandi Sacristam, Clericos, & Scoparium, §. 53. Ordo Primogenituræ in successione d. Iurispatronatus, præfinitur, §. 54. Præsentationisque, & collationis, §. 55. Noua fit reseruatio Iurispatronatus, §. 56. Necnon donatio expensarum à camera, & cessio iurium eidem competentium, §. 57. Declaratur iuspatronatus, & præsentandi esse ex vera fundatione, & cæt. §. 58. Et quod non cadit sub quauis derogatione, §. 59. Vniones, de quibus supra, non possint immutari, §. 60. Clausulæ obreptionem, & subreptionem excludentes apponuntur, §. 61. Derogatur Bullæ de registrando eam in camera, §. 62. Tollitur facultas aliter iudicandi, §. 63. Derogatur plenissimè omnibus contrarijs, §. 64. Adiungitur sanctio pœnalis, §. 65.

Schol. primum.

Quæro. Est ne adeo insigne, & magnificè ornatum Sacellum istud, vt quandoque Scriptores sint historiarum monumentis commendatur?

R E S P. Ita quidem, Quinimo tantus illius est ornatus, quòd iam de eo fęcunda oratione scripserit Carthagen. Homil. lib. 15. in Homil. 23. vbi multa scitu digna de Gloriosissima M A R I A Virgine, ac isto Pontifice disertissimè enarrauit.

Schol. secundum.

Quæro. Hæc B. Virginis imago, num S. Lucæ manu ad viuum expressa, & Angelus de cœlo eam allocutus fuit?

R E S P. Accipe, quid de hac re scriptum reliquit Ciacon. in vita Gregorij I. pagina 167. sub litera B. & C. Quibus rebus permotus Gregorius, ad cętera cęlestis iræ piacula, postero anno 593. religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit, atque solemni in pompa sanctam Virginis Dei Genitricis Imaginem extulit. Hæc ex Lucæ Euangelistæ manu ad viuum expressa, iam tum in ædæ B. Virginis ad præsepe in Exquilijs sita, eximia populi Religione conseruatur. *Factum* est autem, vt Imaginem ipsam, quacumque ferretur tetra pestilentia cęli grauitate cedente optata salubritas sequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, Ecce Angelus Sanctam Virginem, his vocibus de cęlo alloquens est auditus. *Regina cœli lętare alleluia. Qui quem meruisti portare alleluia, Resurrexit sicut dixit alleluia*, Quam vbi Gregorius auribus orationem, excepit, statim diuino instructus spiritu in hunc modum expleuit, *Ora pro nobis Deum alleluia*, Ex inde Antiphona, solemnis Ecclesiæ Paschalis argumento lætitiæ mansit.

LXXXVII.

Edita Anno 1615.

PAstoris æterni, qui pro gregis salute, & infra pagina 328. Bullarij.

COMPENDIVM.

LAERTIVS CHERVBINVS Genitor meus, & alij Nursia oriundi, ex qua Sancti B E N E D I C T V S, & S C H O L A S T I C A prodierunt ob maximam in eosdem Sanctos deuotionem, Papæ supplicarunt pro erectione Confraternitatis sub illorum inuocatione in Vrbe, §. 1. Quam Papa sedulò erigit, §. 2. Confraternitati facultatem tribuit, diuina officia in suo Oratorio recitandi, & Statuta pro illius bono regimine condendi, §. 3. Legataque, & elargita recipiendi, & in pios illius vsus conuertendi, §. 4. Quotannis etiam vnum ex capitaliter condemnatis, non tamen pro crimine hæresis, læsæ Maiestatis, falsificationis monetæ, aut literarum Apostolicarum Assassinij, aut Sacrilegij, homicidij deliberati, aut extractionis frumentorum extra Statutum Ecclesiasticum, habita pace ab offensis, vel eorum hæredibus liberandi, §. 5. Confratribus verè pœnitentibus, confessis, atque Sacra Communione refectis Indulgentiam plenariam elargitur in die ingressus, & in articulo mortis, & in die festiuitatis S. Benedicti, & S. Scholasticæ. Visitantibusq; eorum Oratorium in die Natiuitatis Domini, vel secundo die Paschatis Resurrectionis, vel Natiuitatis, aut Assumptionis Beatæ M A R I A E Virginis, §. 6. & seqq. Aliasque Indulgentias, pia quædam opera facientibus in forma Ecclesiæ consueta relaxat, §. 9. & seqq.

Schol. primum.

Quæro. Pro Antonio amico meo, vno ex Confratribus huius Confraternitatis, qui arduis est negotijs occupatus, num valeo has consequi Indulgentias?

R E S P. Non, quia alteri applicare Indulgentias tibi ob visitationem Ecclesiæ S. Benedicti, vel quid simile à Papa concessas, esset illi applicare merita Christi, quod

solius

solius est Pontificis secundùm D. Thom. in 4. sentent. dist. 20. quæst. 3. artic. 4. & Richard. 3. sent. dist. 10.

Scholium secundum.

Quæro. Indulgentia concessa in §. 8. visitantibus certis festiuitatibus semel, vel tantùm eadem die quæri potest?

R E S P. Semel tantùm secundum D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 3. artic. 2. Gemin. & alij in cap. fin. de Pœnit. & remission. Nauar. qui alios cumulat in suo tract. de Iubil. & Indulg. notab. 31. nu. 36. pag. mihi 162.

LXXXVIII.

Edita Anno 1615.

IN suprema B. Petri Sede, & infra, pagina 329. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert Sixtum V. constitutionem 93. de qua supra pag. 138. tom. 2. circa pœnas, & confiscationes Status Ecclesiastici edidisse, §. 1. Clementem; VIII. in sua const. 5. de qua supra pagina 2. illamque confirmasse, §. 2. Præcipit districtè omnibus Officialibus, etiam Sedis Apostolicæ de latere Legatis in Prouincijs dicti Status dictarum constitutionum obseruantiam, §. 3. Decernit Officiales teneri in ingressu Officij, obseruantiam d. Bullæ Sixti V. medio iuramento promittere, §. 4. Et absque consensu Thesaurarij gratias non signare, nec recipere ibidem. Irritat eas aliter signatas, & receptas, §. 5. Infligit pœnas Vicelegatis. & alijs Officialibus contrauenientibus, §. 6. Iubet compendia dictarum constitutionum vulgari sermone conscripta affigi, & publicari, & in locis residentiarum affixa retineri, §. 7. Pręcipit, quòd in deputationibus Legatorum d. Sedis Apostolicæ dictarum constitutionum obseruantia iniungatur, §. 8. Officiales de contentis in d. Bulla Sixti V. syndicari mandat. §. 9. Et ita, & non aliter iudicari decernit, §. 10. Contrarijs derogat, §. 11. Transumptisque credi iubet, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Pœnarum inflictio, de qua in §. 6. extendit se forsan, etiam ad Legatos de latere, de quibus in §. 3. & 8.?

R E S P. Non, quia in d. §. 6. non solùm ipsi non leguntur, sed consultò prætermissi videntur, dum Vicelegati. & alij enunciantur, & non ipsi, de quibus tamen expressa mentio necessaria fuisset cap. Sedes 15. vbi omnes de Rescript. & ferè in terminis Rota in decissio. Crescent. 3. de Priuileg. aliàs 83. num. 3.

Schol. secundum.

Quæro. Legati de Latere sunt ne semper S. R. E. Cardinales?

R E S P. Ita sanè, quia ipsi solùm dicuntur pars corporis Papæ cap. 1. de Offic. Legat. in 6. cum ibi notatis, & scribit Paris. de Resignat. lib. 7. quæst. 13. num. 5. & Gonzal. sup. 8. regul. Cancell. glos. 24. num. 22.

FINIS TERTII TOMI.

APPENDIX.

EVGENIVS III.

CONSTIT. I. aliàs III.

Edita Anno 1145.

QVANTVM Præcessores nostri Romani Pontt. & infra, pagina 1. Bullarij.

COMPENDIVM.

Narrat Præcessores multum laborasse pro liberatione Terræ Sanctæ, §. 1. Et Vrban. II. maximum promouisse exercitum, & Francorum auxilio partam fuisse victoriam, §. 2. Sed postea Paganos aliqua loca expugnasse, §. 3. Quod Christianorum detrimento maximo cedit, §. 4. Implorat ergo Francorum Regis, & Principum auxilium pro subuentione, §. 5. Indulgentiam ab Vrban. II. institutam proficiscen. ad hoc bellum elargitur, §. 6. Eos, bona, & familias sub protectione Sedis Apostolicæ recipit, §. 7. Lites post acceptam Crucem contra eos silere iubet, §. 8. Luxum, & lasciuiam vetat, §. 9. Vsuras eis remittit, §. 10. Feudalium bonorum pignorationem permittit, §. 11. Peccatorum remissionem præuia contritione confessis, opus hoc perficientibus, vel in eo obeuntibus elargitur, §. 12.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore, quoue loco Vrbanus II. egit de eiusmodi expeditione, de qua in §. 2.?

RESP. Anno 1095. in Concilio Claramontensi, ad quod præsentialiter accessit, hoc opus promouit, teste Baron. in Annal. Eccles. tom. 11. pag. 662. & seq. vbi luculenter recenset Synodales conciones, quas Vrbanus hac de re habuit in ipso Concilio, vbi gloriosissima victoria parta fuit die 5. Iunij 1099. vt post Ciacon. in vita Vrbani II. & Baron. vbi sup. sic scribit Sebast. A costa in suis notis ad Bullam Cruciatæ.

Schol. secundum.

Quæro. Quæ indulgentia est, quæ ab Vrbano II. dicitur instituta in §. 6.?

RESP. Baronius iam citatus hæc eiusdem Vrbani verba recenset. Nos autem Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi huius peregrinationis assumpserint immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum Indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim verò eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint sub Ecclesiæ defensione, & Beatorum Petri, & Pauli protectione tanquàm veræ obedientiæ filios recipimus, & ab vniuersis inquietationibus, tàm in rebus alienis, quàm in proprijs statuimus manere securos.

GREGORIVS VIII.

CONSTIT. I.

Edita Anno 1187.

AVdita tremendi seueritate iudicij, & infra pagina 2. *Item*, Nunquam melius pag. 3. Bullarij.

COMPENDIVM.

Recenset miserandum excidium Hierusalem, §. 1. Hortatur vniuersos Christi fideles ad puriorem vitam, & recuperationem Terræ Sanctæ, §. 2. Indulgentias eis elargitur, §. 3. Eos cum bonis, & familijs sub protectione Sedis Apostolicæ recipit, §. 4. Lites contra eos post acceptam Crucem silere mandat, §. 5. Vsurarum onus remittit, §. 6. Lasciuiam, & ostentationem prohibet, §. 7. Et in subseq. annexa Bulla indicit ad quinquennium, qualibet Feria sexta Ieiunium, & Feria quarta, & Sabato omnes à carnibus abstinere, & Missam cantandam ad Nonam cantari. Interdicit sibi, & Cardinalibus esum carnium in secunda Feria.

Schol. primum.

Quæro. Quid egit Vrban. III. qui audito hoc tristi nuncio in Petri solio sedebat?

RESP. Exeunte Mense Septembri huius anni 1187. acerbo accepto nuncio, tãta fuit ægritudine affectus, quod apud Ferrariam obierit die 20. Octobris eiusdem anni, vt ex Rogerio censuit Baron. in Annal. Eccles. tom. 12.

Schol. secundum.

Quæro. Quid egit postea iste Gregorius eius successor, & Cardinales eius temporis?

RESP. Hic Pont. optima iecerat fundamenta, vt ex eius Bullis dignoscitur, sed nondum duobus expleris mensibus mors improba ipsum intercepit. Cui successit Leo, qui nec Mensem in Pontificatu expleuit. Cardinales autem eius temporis Gregorij, & de eius assensu inter se firmiter promiserunt, quod abiectis omnibus diuitijs & delitijs prædicarent Crucem Christi non solum verbo, sed etiam opere, & exemplo, & euntes mendicando acciperent Crucem primi, & præcederent alios in terram Hierusalem, vt ex eodem Rogerio scribit Baron. mox citatus.

GREGORIVS IX.

CONSTIT. I. Aliàs XIV.

Edita Anno 1232 & 1233.

Fraternitatis tuæ literis, & inf. pagina 3. *Item.* Cum iuxta pag. 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Receptis literis, & Nuntio Patriarchæ Constantinopolitani duos ad illum transmisit religiosos viros, §. 1. Eique suam hanc dedit Epistolam dicens Christus est fidei primum fundamentum, §. 1. & 2. Secundum fuerunt Apostoli. §. 3. Quorum primus fuit B. Petrus, §. 4. Eiusque, & Pauli vnus fuit lucrandi Deo animas zelus. §. 5. Vnâq; doctrina vna Fides, & vnum Baptisma, §. 6. Paulus primatum Petri recognouit, §. 7. Cuius primatus veritas multifariam probatur, §. 8. Successor ergo Petri est caput Ecclesiæ, ad eùmque omnis quæstio est remittenda §. 9. A cuius vnione cum Græci discesserunt in acerbissimum seruitutis iugum lapsi sunt, §. 10. Idem quoque Samariæ euenit, §. 11. Deus permisit errare Petrum, vt alios sciret pati, & compati aberrantes §. 11. Hortatur ergo Patriarcham, vt Romanam Ecclesiam caput, & Magistram agnoscat, §. 13. & 13. Reminiscens malorum, quæ Græci ob scissuram patiuntur, §. 14. Et in subseq. Constit. ponit explicationem de vtroque gladio Ecclesiæ, & eius vsu, §. 2. Diuersoq; ritu circa Sacramentum Eucharistiæ §. 3. Addit hortationem ad vnitatem amplectandam, §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Quis erat Patriarcha, cuius nomen hic non exprimitur?

RESP. Germanus eius nominis Secundus, si Panuino alijsq; fidem. & Chronographiâ Patriarcharum Constantinopolitanorum referentibus credendum est; quod comprobat Gerardus Vossius in suis ad has Pontificis literas notis, anno 1586. Romæ editis.

Schol. secundum.

Quæro. Apud quem de Primatu Petri, & vtroque gladio Ecclesiæ abundantiùs habere potero?

RESP. Innumeros Authores prætermitto, & læto corde Scholia prædicti Gerardi ad hanc Bullam doctissima quidem persepè legito.

INNOCENTIVS IV.

CONSTIT. I.' aliàs XX.

Edita Anno 1243.

Dei Virtus, & Dei Sapientia, & infra, pagina 5. Bullarij.

COMPENDIVM.

Enarrat indixisse Concilium generale Lugduni ex vrgentissimis, quas indicat, causis, §. 1. Conuocat ad illud Abbates, & Priores Angliæ pro die 24. Iunij 1245. §. 2. Inquit Principem dissidentem ab Ecclesia ad idem Concilium citasse, § 3.

Schol. primum.

Quæro. Ad istud Concilium venit fortitan ille Princeps qui citatos dicitur in §. 3.?

RESP. Accedere recusauit Princeps ille Fridericus, quamuis etiam ex decreto Concilij met iudicialis dilatio ad hoc sibi data fuisset, vt testantur acta d. Concil. secundùm Matth. Paris. rerum Anglicarum scriptorem impressa Coloniæ Agrippinæ postremò cusa, cum notis Seuetini.

Schol. secundum.

Quæro. Transmisit saltim Fridericus Procuratores, qui eius tuerentur iura?

RESP. Transmisit, & eorum præcipuus, magnæ prudentiæ, & eloquentiæ Vir Magister Thadæus de Suessa iura omnia, & excusationes Friderici disertissimè deduxit, & eis non obstan. promulgata per hunc Pont. in Concilio sententia excommunicationis, memoratus Matthæus, emisso flebili eiulatu ait: (*Dies ista, dies iræ, calamitatis, & miseriæ*) vt in actis præcitatis eiusdem Concil. habetur.

III. aliàs XXI.

Nouum matris Ecclesiæ gaudium, & infra pagina 6. Bullarij *Edita* Anno 1247.

COMPENDIVM.

Agit de studio B. EADMVNDI Cantuariensis Archiepiscopi circa suam salutem, quam affectuosè quæsiuit, §. 1. & 2. Refert quamplurimas eius virtutes, quibus viuens illustris fuit, §. 3. Recenset aliqua miracula, quibus post obitum coruscauit, §. 4. Hortatur Ecclesiam Cantuariensem ad exultandum de isto Confessore, sicut & de Thoma martyre vtroque eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, §. 5. Adnomerat inter Sanctos §. 6. Instituit eius Festum pro die 16. Nouembris, §. 7. Elargitur Indulgentias illius Sepulchrum visitantibus, §. 8.

Schol. primum.

Quæro. Quot annis ante eius Canonizationem obierat B. Eadmundus?

RESP. Anno præcedenti ex hac vita migrauerat, hac eadem die 16. Nouembris, qua Canonizatus fuit, vt inquit Baron. in Martyrolog. Nec ita celeriter Sedes Apostol. ad Canonizationem deuenire consueuit, nisi celeberrima, & clarissima sint canonizandi opera, atque miracula, vt nouissimè scribit Rocca de Canoniz. Sanctor. cap. 6. & 31.

Scholium secundum.

Quæro. Quis de hoc Sancto Archiepiscopo vberiùs præclara acta recenset?

RESP. Conscripsit accuratè Robertus Ricchius, Robertusque Beuosius eius discipulus, Vincen. Beluacensis eius temporis scriptor lib. 31. cap. 67. ac Surius de Histor. Sanctor. tom. 6. sub hac die 16. Nouembris, vbi etiam affert duas rationes, ob quas Eadmundi nomen habuit.

VRBANVS IV.

CONSTIT. I. aliàs III.'

Vt negotium fidei valeatis, & infra, pagina 7. Bullarij. *Edita* Anno 1262.

COMPENDIVM.

Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ prauitatis indulget, vt cum ob iniunctum eis officium, ad suos Priores recurrere non valeant ad inuicem se possint absoluere, à quibus per Priores dicti Ordinis absolui possent, §. 1.

Schol. primum.

Quæro. Ergo à contrario sensu, cum possunt recurrere ad hos Priores, cessat hæc facultas?

RESP. Benignior, & fortasse verior est contraria sententia, cum sit fauorabilis, & in his terminis argumentum à contrario sensu non recipit, Pegna in suo, ad hanc Bullâ, Comment. 72. par. 3. Directot. Inquisit. verf. Et quamuis.

Schol. secundum.

Quæro. Est ne restricta hæc facultas ad eos casus, quorum absolutio Prioribus Ordinis ab Apostolica Sede concessa est?

RESP. Restrictam sic esse liquet ex ipsis verbis Bullæ, prout perpendit etiam Pegna in suo ad hanc Bullam comment. 73. par. 3. Director. Inquisit. verf. Rursus.

CLE-

CLEMENS IV.

CONSTIT. I. aliàs XIII.

Edita Anno 1265.

AD extirpanda de medio, & infra, pagina 7. Bullarij.

COMPENDIVM.

Innocentius IV. edidit leges contra Hæreticos in eius Constit. 9. de qua sup. pag. 18. tom. 1. §. 1. Quas cum declarationibus Alex. IV. & suis obseruari præcipit, §. 2. Eas leges subnectit, quas non summo, quia eorum summarium feci in d. Const. Innoc. IV.

Schol. primum.

Quæro. Leges autem Friderici, de quibus supra in 1. Const. Innoc. IV. pag. 16. tom. 1. erunt ne obseruandæ cum sint ciuiles, in negotijs fidei?

RESP. Procuidubio obseruandæ, quia ab ipso Innoc. IV. & alijs Summis Pontr. fuerunt approbatæ, vt ibi patet; quinimò, & procuratæ, vt inquit Pegna in Director. Inquisitor. par. 2. pag. 158. in fine secundum vltimam impressionem.

Schol. secundum.

Quæro. Ergo de per se Principes seculares non possunt contra Hæreticos, pœnas augere, ne videantur ponere manum in crimine Ecclesiastico?

RESP. Si ad hunc finem Principes facerent, intraret dubium à te permotum, sed simpliciter augendo suis legibus pœnas, vel iam latas leges in vsum reuocando, cessat huiusmodi dubitatio, quinimò Pegna hoc optandum esse ostendit in Comment. 135. par. 3. Director. Inquisit. vers. de Principibus.

II. aliàs XIV.

Edita Anno 1267.

TVrbato corde audiuimus, & infra, pagina 11. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert ad se perlatum, quosdam Iudæos, ad fidem Christianam conuersos ad Iudaicam redire perfidiam in princ. Et quosdam Christianos ad Iudaismum se transferre ibid. Præcipit ideo Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt contra illos vti hæreticos, eorumq; auxiliatores procedant, §. 1. Iudæi autem Christianos ad eorum sectam trahentes debita pœna plectantur, §. 2.

Schol. primum.

Quæro. Quo pacto intelligitur Christianos ad ritum Iudæorum transire?

RESP. Cum eorum cæremonias obseruant, solemnitates eorum, & Festiuitates celebrant, & cætera, quæ Iudæi communiter facere sunt assueti, Hæc sunt verba Eymeric. in Director. Inquis. lib. 2. quæst. 44. nu. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Lex ista procedit etiam contra reiudaizantes, si baptizati fuerunt, dum erant infantes?

RESP. Procedit, si absolute, & actu baptizati non fuerunt, cap. contra Christianos 13. vbi glos. Gemin. & alij de Hæret. in 6. & scribit Bernard. in Lucerna Inquisit. in verbo Iudęi, §. 2.

GREGORIVS. X.

CONSTIT. I. aliàs III.

Edita Anno 1263.

TVrbato corde audiuimus, & infra, pag. 11. Bullarij.

COMPENDIVM.

Summatur hæc Bulla, vt præcedens, cum eiusdem sit argumenti.

Schol. primum.

Quæro. Quo ritu recipiuntur reiudaizantes? Et etiam qui transeunt ad Iudaismum?

RESP. Hæc omnia benè explicat Eymeric. in Director. Inquisit. lib. 2. quæst. 44. nu. 6. & 7. ad ea te remitto, cum prolixo hic sermone opus esset.

Schol. secundum.

Quæro. Isti Inquisitores soli punient hos delinquentes, vt hic dici videtur, vel vnà cum Episcopo?

RESP. In causis ad fidem spectantibus, non possunt absque Episcopo, nec ipse absque Inquisitoribus punire, quemadmodum, & neque condemnare, vt deinde statuit Clem. V. in Clem. 1. §. 1. de Hæret. & tradit Squillacens. de Hæretic. cap. 46. circa fin. Quod, & tutissimum, & propterea penitùs obseruan. esse, scribit Pegna in Direct. Inquis. par. 2. Comment. 69. vers. illud.

BONIFATIVS VIII.

CONSTIT. I. aliàs X.

Edita Anno 1303.

COnditoris omnium immensa benignitas, & infra, pagina 11. Bullarij.

COMPENDIVM.

Commendat Studia, & scientias in princ. Studia generalia in locis aptis propterea putat instituenda, §. 1. Inter quæ loca Ciuitatem Auenionen. adnumerat, §. 2. In ea Studium generale instituit, §. 3. Doctorandi formam tradit, §. 4. Lectoribus eius vbique legendi Priuilegium donat. §. 5. Eos pręuio iuramento recipi iubet, §. 6. Eisdem, & Scholaribus Priuilegia Studiorum generalium elargitur. §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Si Scholares de præsenti renunciarent his Priuilegijs, præiudicarent ne Scholaribus futuris?

RESP. Non præiudicarent, si vt singuli renunciarent, secus si vt Vniuersitas, secundum Alberic. in auth. Habita. Cod. ne filius pro Patre sub num. 5.

Schol. secundum.

Quæro. Si alicui interdicto subijceretur hæc Ciuitas, cessarent huius Studij Priuilegia?

RESP. Cessarent, quia interdictum morti æquiparatur Bald. in d. authent. Habita num. 12. vbi sub num. præced. hoc idem affirmat de Ciuitate damnata ob rebellionem.

BENEDICTVS XI.

CONSTIT. I. aliàs XV.

Edita Anno 1304.

CVm leuamus in circuitu oculos, & infra, pagina 13. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confirmat Congregationem Fratrum Seruorum Beatæ MARIAE Virginis Ordinem S. Augustini profitentium, §.1.&.2. Cuius Regulam ab eis profiteri mandat, §.3. Contrarijs derogat, d.§.3.

Schol. primum.

Quæro. Quo tempore ista Congregatio instituta fuit?

R E S P. Anno Domini 1233. quo in Solio Apostolico sedebat Gregor. IX. & ei valde infensus Federicus II. Imperator totam Romanæ Ecclesiæ dictionem vexabat, ita scribit Roderic. de Quæstion. Regular. tom.1. quæst.3. art. 6. & Azor. de Institut. Moralib. tom.10. lib.13. cap.11. pag. mihi 1661. ac nouissime, & luculenter F. Archang. Gianius eiusdem Ordinis professor, in illius Annalib. lib.1. cap.1. Vnde recedendum videtur à Ciacon. qui in vita Innocentij IV. hunc Ordinem inchoatum scribit anno 1552.

Schol. secundum.

Quæro. Nonne vt fertur fuit ista Congregatio à d. Gregorio IX. confirmata?

Quæro. Sic scribit Roderic. mox allegatus, nec non F. Archang. vbi supra, estq; verissimum cum Greg. XIII. in quadam eius Constitutione die 20. Aprilis anno 1578. edita super Indulgentijs huic Ordini elargitis, à Gregorio IX. hunc Ordinem initium sumpsisse assueret, cuius Gregorij XIII. Bullæ authenticum, in Bibliotheca Genitoris mei sæpius vidi, & incipit, Dum ad vberes.

II.

Edita Anno 1304.

REligiosam vitam eligentibus, & infra, pagina 13. Bullarij.

COMPENDIVM.

Ordinem Monachorum Cælestinorum sub protectione Sedis Apost. suscipit contemplatione Cœlestini V. eiusdem Ordinis professoris, §.1. Regulam S. Benedicti præcipit, §.2. Licentiam retinendi, & recipiendi quæcunque bona tribuit, §.3. Quædam loca Ordinis recenset, §.4. Abbatis generalis Officium triennio expleri decernit, §.5. Confirmatione Sedis Apostolicæ non indigere declarat, §.6. Eumdem antea non benedictum à quocunque Catholico Episcopo benedici posse mandat, §.7. Et quotannis à tribus Prioribus visitari iubet, ne à rectitudine Regulæ deuiettur, §.8. Eximit ordinem à Decimis fructuum terrarum acquisitarum, §.9. Relictaq; ab omni canonica portione, §.10. Facultatem dat Abbati dispensandi cum intrantibus Ordinem, §.11. Eximit ipsum à Synodis, & Processionibus, §.12. Transitum ad alium Ordinem interdicit, §.13.

Schol. primum.

Quæro. Cœlestinus V. de quo in §.1. & quem aliàs diximus Congregationem Cœlestinorum instituisse antequam ad Pontificatum assumeretur, quo loco, quoue tempore eam instituit?

R E S P. Apud Ciuitatem Sulmonæ in loco nuncupato Mogella, vt scribit Roder. de Quæst. Regular. tom.1. q.3. art.7. Eremiticam namque solitudinem circa annum 1231. ingressus est, in qua summa cum abstinentia delituit spatio annorum 32. vt legitur in Epilogo vitæ ipsius Cœlestini.

Schol. secundum.

Quæro. Erat ergo ista Congregatio Eremitarum non Monachorum in principio?

R E S P. Dum ipse Petrus de Morono, ante Pontificatum in dicta solitudine Eremitica degeret, quam plures ad eum Monachi conuenerunt, Sanctitatis suæ odore attracti, & sic reformata quædam Monachorum Congregatio inita fuit, quam ipse idem professus est, & Cœlestinorum postea appellata ab institutore ad Pontificatum euecto.

IOANNES XXII.

CONSTIT. I. aliàs XV.

Edita Anno 1324.

CVm à nobis petitur quod iustum est, & infra pagina. 14. Bullarij.

COMPENDIVM.

Comprobat Congregationem monachorum B. Mariæ Montis Oliueti, ordinis S. Benedicti, Abbatem, & Conuentum, & eorum bona, sub protectione Sedis Apostolicæ suscipiens. §.1. Sanctionemq; pœnalem apponit, §.2.

Schol. primum.

Quæro. Quãdo, & à quo fuit instituta Cõgregatio ista?

R E S P. Anno 3. huius Pontificis, salutis vero 1318. a Bernardo Ptolomæo, & duobus eius Socijs, vt scribit Ciacon. in vita huius Pontificis, vel veriùs anno 1319. secundùm Roderic. Quæst. Regular. to.1. quæst.3. artic.3. Subdens illos Socios fuisse Senenses, & iussu dicti Pont. Episcopum Ciuitatis Aretij visione B. MARIAE Virginis præhabita, habitum Albi coloris, quem nunc monachi deferunt, eis dedisse, & Regulam S. Benedicti obseruandam præscripsisse. Azor. autem de Institut. Moral. tom. 1. lib. 12. cap. 21. pag. mihi 1570. prædictum Ptolomæum Senatorem nobilissimum Senensem, duosque eius Socios Ambrosium Piccolomineum, ac Patritium æque nobilissimos Senatores appellat.

Schol. secundum.

Quæro. Vnde nomen montis Oliueti sortita est?

R E S P. A loco, in quo initiata fuit, quippe in monte Olineto, qui est apud Ciuitatem Senarum, vt testatur Roderic. vbi supra, estq; omnibus notissimum.

MARTINVS QVINTVS.

CONSTIT. I. aliàs XV.

Edita Anno 1424.

SEdis Apostolicæ prouidentia, & infra pagina 15. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confratres, & Sorores tertij Ordinis Fratrum Seruorum B. Mariæ Virginis obtinent confirmationem eorum Regulæ, cap.1. & 2. De admittendis ad hunc ordinem, c.1. Habitu, cap.2. Modo recipiendi ad Ordinem, cap.3. Modo profitendi, cap.4. Statu permanentium, cap.5. Horis canonicis recitandis, cap.6. Surgendo ad matutinum, cap.7. Confessione, & communione, cap.8. Silentio, cap.9. Reuerentia exhibenda Ecclesiarum Prælatis, cap.10. Ieiunio, cap.11. Cibo, cap.12. Discursu cap.13. Armorum prohibitione. cap.14. Infirmis visitandis, & procurandis, cap.15. Obitu Confratrum, & suffragijs eorum, cap.16. Institutione correctoris, & Priorissæ, cap.17. Officio eorumdem, cap. 18. Correctione Confratrum, §.19. Subiectione Priori Generali, & Prioribus Prouincialibus ordinis, cap.20. Dispensatione ex rationabili causa, cap.21. Obligatione regulæ, seu forma viuendi, cap.22.

Schol. primum.

Quæro. De clausura harum Tertiariarum hic nihil expressum videtur, quid ergo dicendum?

R E S P. Plura quidem quæ recenset Corduba in addit. ad Capuccin. in Compend. Priuileg. Fratr. Minor. in verbo Clausuræ, pag. mihi 116. & seq. Quæ hic transferre superfluum visum fuit.

Schol. secundum.

Quæro. Tertiariæ inclusæ veniunt appellatione Monialium?

R E S P. Venire probat text. in capit. Causã, quæ 8. de Elect. & Panormitan. ibi in princip. & sequitur Capuccin. vbi

vbi supra in verb. Ingredi Monasteria vers. Circa huiusmodi pagina mihi 331.

II.

Edita Anno 1430.

PEruigilis more Pastoris, & infra, pagina 27. Bullarij.

COMPENDIVM.

Hic Pont. suam edidit constit. num. 13. circa reformationem Fratrum Minorum Conuentualium, de qua supra pag. 54. to. 1. Eam modò declarat circa curam Monialium in §. 3. Et prohibitum ad eas ingressum, §. 4. Celebrationem Officij diuini, §. 5. Sociosque Generalis Ministri, §. 6. Potestatem d. Ministri, §. 7. & 8. Vestimenta Fratrum, §. 9. Exactionem Prælatis Ordinis interdictam, §. 10. Iuramentumque d. Ministri circa obseruantiam prædictæ constitutionis, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Circa recitationem diuini Officij, de qua in §. 5. habent isti Fratres, alias successorum Pontificum declarationes?

RESP. Habent, & cum multæ sint, eas legere poteris, apud Roderic. de Quæst. Regular. lib. 1. quæst. 42. per plures articulos.

Schol. secundum.

Quæro. Licebit ne his fratribus diuinum recitare Officium cum alio Religioso secundùm aliquod Priuilegium, quod illi religioso concessum esset, Et illo eodem Priuilegio gaudere, suæque satisfacere obligationi?

RESP. Non absolutè hoc eis licebit, sed cum ille religiosus absque Socio suo non posset vti Priuilegio cæcitate, aut alia correptus infirmitate, ob quam solus Officium recitare non valeret, quia aliàs illi religioso d. Priuilegium frustatorium esset, vt declarat Nauar. quem citat, & sequitur Roder. d. quæst. 42. art. 9.

INNOCENTIVS OCTAVVS

CONSTIT. I. Aliàs XIX.

Edita Anno 1485.

SAcrosanctam Matrem Ecclesiam, & infra pagina 29. Bullarij.

COMPENDIVM.

Quòd in Psalmo 44. inquit Dauid de Regina in vestitu deaurato plenè exponit de Militanti Romana Ecclesia, §. 1. Quam subdit Deum multorum Sanctorum agmine roborasse, §. 2. Et inter eos Leopoldum Austriæ Principem multis virtutibus ornatum, & Marchionem Pium cognomento appellatum suscitasse, §. 3. Is quadraginta annis Principatum Austriæ turbulentissimis etiam temporibus in pace rexit, §. 4. Eiusque vitæ exemplo amatorum sæculi excusationes disrupit, & illecebrarum contemptum docuit, §. 5. Multis miraculis admodum claruit, §. 6. Anno 1136. ad Deum migrauit, & ad hæc vsque tempora Populorum deuotio percrebuit, §. 7. Rodulphus ideo Austriæ Dux pro illius canonizatione Innocentio VI. supplicauit, §. 8. Qui de eius vita inquisitionem fieri edixit, §. 9. Eius superueniente obitu, & bellorum turbinibus vsque ad Pauli II. tempora intermissa fuit, §. 10. Qui ad Imperatoris Principum, & Prælatorum Germaniæ preces, tribus Cardinalibus eam commisit, §. 11. Illo defuncto ijdem apud Sixtum IV. pro d. canonizatione institerunt, §. 12. Is dictã inquisitionem Cardinali in Germania legato cõmisit, qui eam perfecit, & Papæ attulit, §. 13. Processibus per tres Card. ad hoc assumptos examinatis, & primùm Sixto, ac deinde in Consistorio relatione habita, canonizatio conclusa fuit, §. 14. Sixto defuncto hic Pont. Leopoldum Sanctum esse pronunciat, & Confessorum numero adiungit, §. 15. Eius festum die 15. Nouembris agi decernit, & eius sepulchrum visitantibus indulgentias concedit, §. 16.

Schol. primum.

Quæro. Miracula hic indicata, quis mihi explanabit?

RESP. Cuncta perlege in libro, quem de eis conscripsit Io. Franciscus de Pauinis, & in Oratione in Consistorio Pontificis à Francisco Patauo Aduocato Consistoriali de huius Sancti Canonizatione habita, quam refert Surius de Histor. Sanctorum par. 6. sub die 15. Nouembris.

Schol. secundum.

Quæro. Cur Marchio Pius cognomento appellabatur in §. 3.?

RESP. Quia Leopoldi Marchionis Austriæ natus erat: Pium verò, ob suæ pietatis excellentiam dictum fuisse, colligitur ex his, quæ Pauinus, & Surius præcitati scripta reliquerunt.

LEO DECIMVS.

CONSTIT. I. aliàs XLIV.

Edita Anno 1519.

DVdum per nos accepto, & infra, pagina 21. Bullarij.

COMPENDIVM.

Principium huius Bullæ cum §. 1. est in Bullario pagina 524. to. 1. & summa residui ibi culpa impressorum prætermissa hæc est. Subortum est dubium an sæculares potiantur Indulgentijs communicatis inter Ordines Mendicantium, vt Indulgentiæ concessæ visitantibus vnam Ecclesiã vnius Ordinis, dicantur concessæ etiam visitantibus, aliquam aliam Ecclesiam dicti Ordinis, §. 2. Hic ideo Pont. non potiri declarat, §. 3. Contrarium pronunciari prohibet, §. 4. Obstantia tollit, §. 5. Fidem transumptis dari iubet, §. 6.

Scholium.

Quæro. Vltra aliud quæsitum, de quo in compendio huius constitutionis, quod hic dicitur sæculares Indulgentias S. MARIAE de Populo Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini visitantibus concessas, non consequi visitando vnam aliam domum eiusdem Ordinis, habet ne locum quoad Indulgentias alicui domui aliorum Ordinum elargitam?

RESP. Ex identitate rationis in hac Bulla expressæ, eadem diffinitio quoad omnes tenenda est, Prout Indulgentijs Ecclesiæ S. MARIAE de Angelis concessis Ordini Minorum, sæculares non gaudere visitando aliam Ecclesiam d. Ordinis, scribit Roderic. de Quæstionib. regular. tom. 1. quæst. 55. num. 18.

II. aliàs XLVII.

Edita Anno 1520.

PAstoris æterni, qui vt humanum genus, & inf. pagina 2. Bullarij.

COMPENDIVM.

Confraternitas Rosarij antiquitus à B. DOMINICO instituta, mox renouata fuit in Ciuitate Coloniensi, §. 1. Cardinalis Legatus Papæ in Germania confirmauit, §. 2. Confratribus, & Consororibus Indulgentias dedit, §. 3. Sixtus IIII. eas ampliauit, §. 4. Orandique modum approbauit, & Indulgentias omnibus ita orantibus concessit in sua Constit. 18. de qua sup. pag. 97. to. 1. §. 5. Innocentius VIII. alias Indulgentias elargitus est, §. 6. Alter Cardinalis Legatus in Germania, & alij Ordinarij alias etiam Indulgentias concesserunt, §. 6. Hic Pontifex omnia confirmat, §. 9. Illasque auget, §. 10. Confessoribus Ordinis Sancti Dominici indulget audire confratres con-

fitentes,& eos absoluere,§. 11. Ab ingredientibus Confraternitatem nihil temporale exigi iubet,§. 12.

Schol. primum.

Quæro. Quid si sponte aliquam eleemosynam in ingressu Confraternitatis darem?

RESP. Licitè dares,quia aliud est exigere, aliud gratis datum recipere glos.in cap.2.de Censib.in 6. in verb. Exigere, & in terminis sic tradit Nauar. de Orat. Miscellan. 25.num.22. & 23.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si Psalterium, siue Rosarium recitarem per alium?

RESP. Non acquireres Indulgentias, ita tenet de his Indulgentijs idem Nauar. vbi supra Miscell. 27. num. 33. vers. Tertiò aduertendum.

ADRIANVS SEXTVS.

CONSTIT. I. aliàs V.

Edita Anno 1523.

EXcelsus Dominus militantem Ecclesiam, & infra pagina. 23.Bullarij.

COMPENDIVM.

Sicuti Deus Ecclesiam suam multorum Sanctorum agmine illustrauit,§. 1. Sic B.Bennonem nuper in ea suscitauit,qui eius meritis illam decorauit,§.2.Ipse etenim in vita miraculis multis clarüit,& virtutibus,§.3. Et post mortem etiam miraculis emicuit, §. 4. Quarum aliqua referuntur, d. § 3.& 4.Carolus V.Imperator, & multi Principes pro illius Canonizatione,huic Pontifici supplicarunt,§. 5. Qui post inquisitionem,& processum ab Alex. VI. Iulio II. & Leone X.inchoatos, ad vlteriora processit,seruatisq; seruandis ad S. Bennonis Canonizationem die vltima Maij, anni 1523.deuenit.§. 6. Ipsumq. Sanctorum Confessorum Cathalogo adscripsit § 7. Eius festum die 16. Iunij, agi iubet, Indulgentiamque eius Sepulchrum ea die quotannis visitantibus elargitur, §.7. Huius Bullæ transumptis credi iubet,§.8.Sanctionem pœnalem apponit,§. 9.

Schol. primum.

Quæro. Huius Sancti, ad cuius tumulum in Ecclesia Misnensi fiunt miracula, quis vberius præclara gesta describit?

RESP. Hieronymus Esmer, Sacrorum Canonum licentiatus, scriptis egregiè mandauit, & ad plenum recensentur à Surio de Vit.Sanctor.tom.7.vbi inter alia sub cap. 28. refert, nedum miraculum aquæ signo Crucis in vinum conuersæ à S.Bennone, sed etiam ab eius puero, qui meritis Beati viri signum Crucis edidit super vnda, quæ statim vini saporem induit. Insuper subdit,quòd nedum ipse Sanctus Benno suis pedibus flumen Albis, vt in hac Bulla refertur,§.3. pertransiuit, sed quod id videns rusticus quidam, qui eum cum plaustro fœni sequebatur, protinus per aquã insecutus est,& incolumis transuexit.

Schol. secundum.

Quæro. Papa (& de hoc sæpe te volui aliàs interrogare) an in Canonizatione Sanctorum possit errare?

RESP. Pia, ac firma fide creden. est,non errare, & Deum non permissurum in tanta re eius Vicarium falli, cum maximè spectet ad fidei Christianæ religionem, & aliter credere, velest hæreticum, vel admodum temerarium, & punibile Syluestr. in sua summa in verb. Canonizatio.num. 1. Couar.var.resol.lib. 1.cap. 10.num. 13.Pegna in Director.inquisit.par.2.Comment.42. ad finem, & latius Rocca de Canoniz. Sanctor.cap.39. vbi alios cumulat; Veruntamen pium esse puto,orationes ad Deum, tempore huiusmodi Canonizationis, ne Vicarium suum errare permittat, effundere.

PAVLVS TERTIVS.

CONSTIT. I. aliàs XLIX.

CVm nobis inter alia innotuisset, & infra pagina. 26. Bullarij.

Edita Anno 1534.

COMPENDIVM.

Refert edidisse prohibitionem, ne Iudices Romanæ Curiæ transumpta supplicationum, siper prouisionibus beneficiorum,& alijs gratijs signatarum, & registratarum, darent, nec earum supplicationum prætextu mandata adipiscendi possessionem concederent, literis Apost.prius desuper non expeditis,§.1.Et modò d. prohibitionem innouat, §.2. Inhibet omnibus Officialibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ,& pecuniarijs pœnis ne se intromittant in transumptis supplicationum, præterquam habentium clausulam,quòd sola Signatura sufficiat,neque de decreto,& concessionibus dictorum mandatorum, d.§.2. Venientibus autem dictis transumptis,aut mandatis, ac possessionem apprehendentibus, pœnam infligit, quòd fructus suos non faciant, & ad eorum restitutionem teneantur, & ad ipsa beneficia inhabiles reddantur,§.3.Et ita,& non aliter iudicari decernit,§ 4. Contraria remouet, §. 5. Et hanc constitutionem inter alias extrauagantes describi,& publicari iubet,§. 6.

Schol. primum.

Quæro. Per solam supplicationem signatam, etiam literis non expeditis,gratia dicitur perfecta?

RESP. Non,si non fuerit etiam registrata, quia antea Papa potest eam liberè lacerare Rota in decis. Robuster. 101.par.1.Diuersor.vers. Vnus tamen,& in decis. 791.Seraph.ead.par.1.nu. 15.

Schol. secundum.

Quæro. Vacabit ergo beneficium morte eius,qui supplicationem registrari fecit?

RESP. Ita sanè censuit Rota in decis. Peregr. 37. lib. 1. Manuscr.& in decis. Iusti in vna Toletana Beneficij 16. Decembris 1605.& 27.Ianuarij 1606.& Gonzal.super reg. Cancell. glos. 15.§.1.num. 34.

IVLIVS TERTIVS

CONSTIT. I. aliàs XXV.

CVm sicut accepimus licèt aliàs, & infra, pagina 26.Bullarij.

Edita Anno

COMPENDIVM.

Plerique Pontt. varias leges edixerunt contra homicidas, brigosos, pacum fractores, & alios eiusmodi delinquentes, §. 1. Contra eos tamen Officiales remissius processerunt,§.2.Hic ideo Pont. illas innouat,& Gubernatori Vrbis earum obseruantiam, & executionem committit, §. 3. Et contra prædictos omni via procedi mandat, §. 4. Et per edictum citari posse decernit,§.5.Summariéque,& nullo iuris ordine seruato,§.6. Eorundem receptatoribus, & fautoribus ignorantiæ excusationem tollit,§.7. Solam huius legis signaturam sufficere decernit, §. 8. Contrarijsque derogat,§.9.

Schol. primum.

Quæro. Sensus, §.7. quoad ignorantiæ excusationem, nonne terribilis,& ferè obscurus videtur?

RESP. Ita sanè, & Genitori meo obscurum quoque visum fuisse ab eo accepi, qui ideo eam mihi subdit inter alias huius Papę Bullas loco suo non constituisse,quia tunc temporis, nec eius authenticum viderat, nec publicatam fuisse sciebat.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. Vbi authenticum, eiusque publicationem reperij?

RESP. In Archiuio Caritatis de Vrbe, vnde ipse hunc. §.7. in modico concordauit, ibi etenim acta causarum criminalium Curiæ Gubernatoris Vrbis accuratè afferuantur, Inuenitq; in fasciculo bannimentorum à Phylo eo tempore Gubernatore, cui hæc Bulla directa fuit publicatorum, & in folio impresso, ac aperto sicut Bullæ in locis consuetis publicandæ imprimi solent, vnde publicatam fuisse pro certo credendum mihi significauit, & præsertim quod eam inuenisse affirmauit iuxta aliam Bullam ab hoc, eodem Iulio Pont. contra Blasphematores editam, & à successoribus Pont. comprobatam, vt videre est in Bullar. lib. 1. fol. 713.

PIVS QVINTVS.

CONSTIT. I. aliàs CL.

Edita Anno 1570. Sanctissimus Dominus noster, & infra, pag. 28. Bullarij.

COMPENDIVM.

Decernit, quòd literæ Apostolicæ de excommunicandis non restituentibus, vel reuelantibus bona deperdita, vel subtracta, dentur ad instantiam eorum, quorum ciuiliter interest. §. 1. Et exprimantur ipsa bona nominatim. §. 2. Committanturq; Episcopis locorum, aut eorum Vicarijs generalibus. §. 3. Et sic, & non aliàs fieri iubet. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Hæc lex ligat fortasse etiam Aduocatum, cui Clientes aliquid de meritis causæ suæ communicarunt?

RESP. Nonequidem, ne proditor causæ dicatur, nisi quando de alterius præiudicio ageretur, & illi alia via prouideri non possit, nec tunc reuelandum est plus quàm sit necessarium; imò neque quantum est necessarium, si maius ex eo damnum famæ in illum, qui detegitur, quam in dãnificatum in bonis redundat, vt explicat Nauar. in Manual. Confessor. cap. 25. sub nu. 42. & seq. sequtur Guttierez de Canon. Quæst. lib. 1. c. 11. n. 58. necnon M. Antonius Genuensis olim Episcopus Montis Marani, nunc vero Iserniæ, in sua Praxi Cur. Archiepisc. Neap. cap. 2. nu. 2. versic. Quinto Aduocati.

Quæro. Si is, à quo aliquid ego sciebam, me præuenerit in illud denunciando, excusari fortasse potero?

RESP. Maxime; cum iam amplius constet ex originali, quàm possit constare per copiam Nauar. vbi supra num. 46. vers. Quartum, & Guttier. qui in d. q. 11. nu. 72. vbi numeris præcedentib. & seqq. alios plures non absimiles casus enumerat.

II. aliàs CLI.

Edita Anno 1571. Illius fulciti præsidio, & infra pagina 28. Bullarij.

COMPENDIVM.

Refert qualitates Ripæ Transonis in prouincia Marchiæ, §. 1. Eiusq. Vniuersitatis supplicationem pro obtinenda erectione in Sedem Episcopalem, §. 2. Erigit d. Oppidum in Ciuitatem, & Ecclesiam S. Benigni in Sedem Episcopalem, §. 3. Dotem assignat, §. 4. Dat Episcopo, & Canonicis facultatem edendi Statuta, pro fœliciori successu Cathedralis Ecclesiæ, §. 5. Constituit quatuor parochiales Ecclesias in quatuor Regionibus dictæ Ciuitatis, §. 6. Dat facultatem Rectoribus earum habendi in eis Vicarios perpetuos, §. 7. Constituit Archipresbyteratum, Archidiaconatum, & Canonicos prædictos, §. 8. Earumque præcedentiam, §. 9. Vnit beneficium S. Angeli ad Cathedralem Ecclesiam, §. 10. Aliaque loca, & personas pro Clero, Populo, & diœcesi d. Ecclesiæ Ripanæ, §. 11. Contraria tollit, §. 12. Preseruat iura aliarum Ecclesiarum, & Monasteriorum, quoad bona temporalia, & Monasterij in bonis dismembratis existentia, §. 13.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est quòd hoc Oppidum Ripæ Transonæ appellatur?

RESP. Ripa nuncupatur à P. Rupilio Cos. Romano, eam olim incolente; Transon autem ab Asone Fluuio, trans quem sita est, sicuti testatur Theodor. Quatrin. Rip. lib. 2. suæ Histor. cap. 2.

Schol. secundum.

Quæro. Si alterius Ecclesiæ in Metropolim erectionem habere vellem, immediatè à Romano Pontifice impetrabo?

RESP. Non, sed Congregationem Cardinalium à Sixto V. ad hoc institutam adire primùm debes, vt examinato negotio, impetrare valeas à Pont. vt videre est in eiusdem Sixti constitut. 74. in Congreg. 3. fol. 612. lib. 2. in Bullario.

GREGORIVS XIII.

CONSTIT. I. aliàs C.

In supereminenti Apostolicæ Sedis, & infra, pagina 30. Bullarij. Edita Anno 1582.

COMPENDIVM.

Carolus Cardinalis de Lotharingia, & Carolus Dux Lotharingiæ decreuerunt in Oppido Pontis Monsonij Studium erigere generale, & Collegium presbyterorum Societatis IESV, adiuuenes sana doctrina, bonisq; artibus instituendos, §. 1. Petunt à Papa quamdam domum Hospitalis S. Antonij, & annuum redditum assignari §. 2. Qui petita concedit, & Collegium prædictum instituit, §. 3. Lectorum munus, & numerum præscribit, §. 4. Personis dicti Studij Priuilegia Studij Bononiensis, & Parisiensis concedit, §. 5. Doctorandi facultatem tribuit, & promotis dat Priuilegia in dictis Studijs promotorum, §. 6. Carolo Cardinali facultatem Statuta condendi pro illius regimine largitur, §. 7. Iurisdictionemque in omnes dicti Studij personas, non tamen d. Societatis IESV, §. 8. Ius personas d. Studij eligendi constituit, §. 9. Huic institutioni clausulas præseruatiuas apponit, §. 10. Et decretũ irritans, §. 11. Recusantibus soluere Collegio annuos redditus assignatos pœnas indicit, §. 12. Executores huius Constitutionis deputat, §. 13. Contrarijsque derogat, §. 14. Sanctionem quoque pœnalem adijcit, §. 15.

Schol. primum.

Quæro. Collegia non approbata, sunt ne capacia hæreditatum?

RESP. Non, l. Collegium 8. Cod. de Hæred. institut. quod dubium non esse, inquit, ibi text. & locum habet etiã quod sint religiosa Panormit. conf. 55. lib. 1. num. 1. & ita intelligen. est Surd. (licet simpliciter loquatur) in decision. 338. nu. 10. Nisi dicamus, Collegia pia eiusmodi, ipso iure censeri approbata ad l. 1. cum ibi not. Codice de Sacros. Eccles.

Schol. secundum.

Quæro. Approbare diceretur ne Papa, si solummodo Indulgentias aliquas Collegio elargiretur.

RESP. Tacitè approbasse præsumeretur ex his, quæ Panormit. deducit d. cons. 55. num. 4. & 5. vbi latè.

I I. aliàs CI.

Edita Anno 1575.

COpiosus in misericordia Dominus, & infra, pagina 33. Bullarij.

COMPENDIVM.

PHILIPPVS NERIVS Præpositus nonnullorum Clericorum secularium in Vrbe supplicat Papæ pro erectione Congregationis de Oratorio nuncupand.æ, §.1. Is illam erigit in Ecclesia S. MARIAE in Vallicella de Vrbe, §.2. Statuta, ordinationesq; pro eius fœlici regimine condendi facultatem tribuit, §.3.

Schol. primum.

Quæro, Quo tempore horum Clericorum Congregationem Philippus prædictus instituere cœpit?

RESP. Anno Domini 1564. à B. Philippo initiatam scribit in suo, quem de illius vita libello conscripsit, Antonius Gallonius illius alumnus, & eiusdem Congregationis presbyter anno 1600. Romæ impresso pag. mihi 108. & seq. & pag. 135. de hac Pontificis approbatione Congregationis meminit, ac plenius de his agit in sua, quam desuper contexit, historia mox Romæ typis danda Iacobus Crescentius Abbas S. Euthichij Nob. Rom. qui eiusdem B. Philippi viuentis filius spiritualis fuit.

Schol. secundum.

Quæro. Cur denominationem sumpsit (Oratorij) ista Congregatio?

RESP. Quia B. Philippus, spiritualibus colloquijs anno 1551. ad eum primum in suo cubiculo, postmodum in loco pro Oratorio destinato confluentes, ad resipiscentiam reduxit, & ex illis alumnos habere cœpit, vt enarrat idem Gallonius vbi supra pag. 35. & 62. & alibi.

I I I. aliàs CII.

Edita Anno 1579.

DVm attenta considerationis, & infra, pagina 35. Bullarij.

COMPENDIVM.

Valerianus Episcopus Ciuitatis Vilnensis in Regno Poloniæ erexit in ea Collegium Societatis IESV vnde grandis bonorum artium, scientiarumque profectus habitus est maiorque speratur, si ibidem vniuersitas Studij generalis à Papa instituatur. §.1. Qui eam instituit, §.2. Illique Priuilegia aliorum Studiorum generalium concedit. §.3. Cum authoritate Statuta pro eius regimine condendi. §.4. Molestiam ei dari prohibet. §.5. Contrarijsque derogat, §.6. Sanctionem quoque pœnalem apponit. §.7.

Schol. primum.

Quæro, Posset ne quilibet eiusmodi Collegia instituere?

RESP. Non, text. est in l.1. & DD. ibi communiter, ff. de Colleg. illicit. & tradit Petrus Gregor. in Syntagm. Iur. lib.15. cap.32. num.8.

Schol. secundum.

Quæro. Posset ne etiam Collegium fundans cum licentia superioris leges postea ei cõstituere arbitrio suo, etiam non habita speciali facultate?

RESP. Posset, nisi quid contra ius publicum constitueret l. fin. ff. de Colleg. illicit. Nauar. de Orat. in 24. Miscellan. nu.19. Intellige tamen vt personas de Collegio ligent, non alios, Rota in decis. Cantuc. 103. par.2. Diuersor. nu.9. & Surd. cons.460. lib.4. nu.9.

SIXTVS QVINTVS.

CONSTIT. I. aliàs CVI.

Edita Anno 1589. & 1590.

CVm pro suprema, & infra, pagina 36. *Item*, Cum S.R.E. & infra, pagina 39. Bullarij.

COMPENDIVM.

Irritat alienationes Officiorum, seu Iurium, & emolumentorum Officijs etiam maioribus S. R. E. annexorum, contra formam eorum primæuę erectionis, ab Officialibus factas. §.1. & 2. Et omnia instrumenta desuper celebrata. §.3. Possessione detentores priuat. §.4. Sic solum iudicari iubet. §.5. Prohibet eiusmodi alienationes in futurum. §.6. Officiaque integra Sedi, & Cameræ Apostolicæ conseruat. §.7. Transgressores multis pœnis afficit. §.8. Contrarijs derogat. §.9. Antiquum Statum Officialibus maioribus præseruat. §.10. Et in const. annexa declarat, quæ Officia spectent ad S.R.E. Vicecancellarium. §.1. Eiusdem facultatẽ, & authoritatem comprobat, & ampliat. § 2. & 3. Clausulas præseruatiuas apponit. §.4. Clausulam Sublata addit. §.5. Contrarijs derogat. §.6. Et solam signaturam sufficere decreuit. §.7.

Schol. primum.

Quæro. Officia supradicta quæ sunt ad vitam, possunt vendi absque licentia Papæ.

RESP. Non, quia isti Officiales æquiparantur vsufructuario, ideoque sicut vsusfructus non potest cedi, nisi proprietario l. si vsusfructus 67. ff. de Iure dot. ita est dicen. de huiusmodi Officijs absque Papa proprietario. Tusch. in verb. Officiales conclus. 105. num.6. & ita practicatur.

Schol. secundum.

Quæro. Si emens Officium eiusmodi vacabile in personam Tertij, reseruato sibi dominio, decedat, ad eius hæredes, vel ad illum Tertium spectat Officium?

RESP. Ad hæredes emptoris, cum ille tertius habeat in Officio solummodo nudum nomen, & emptor solus sit verus Dominus, vt Rota sic tenuit tam in Montibus Vacabilibus (vt sunt hæc Officia) in decis. 262. par. 1. diuersor. nu.6. & 9. coram Aldobrand. quam in Officijs etiam confirmauit coram eodem Aldobrand. in vna Romana Officij scriptoriæ 13. Maij 1583. & in eadem causa coram Pamphilio die 1. Aprilis 1582.

I I. aliàs CVII.

Edita Anno 1585.

CAelestis Patris prouidentia, & infra, pagina 40. Bullarij.

COMPENDIVM.

Carolus Archidux Austriæ ad fidem catholicam retinẽdam, & augendam in Oppido Grecen. Collegium Presbyterorum Societatis IESV extruxit, & Greg. XIIj. instituit, §.1. Et modò idem Carolus huic Papæ pro erectione Studij generalis in d. Collegio supplicat ad maiorem profectũ §.2. Is illud eregit sub regimine d. Societatis IESV, §.3. Priuilegiaque aliorum Studiorum generalium elargitur, §.2. Præposito generali d. Societatis Statuta pro illius regimine edendi facultatem tribuit, §.9. Lectoresque, & Officiales eligendi, §.6 Bona per Carolum Collegio donata, perpetuo eidem applicat § .7. Annuum quoque redditum assignat, §.8. Clausulas huius Constitutionis præseruatiuas apponit, §.9. Executores eiusdem deputat, §.10. Contrarijs derogat, §.11. Sanctionemque pœnalem adijcit, §.12.

Schol. primum.

Quæro. Si Statutis huius Collegij caueatur ad illud solum admittit originarios huius Oppidi Græcen. quid dicen. de filio ciuis originarij casu alibi nato?

RESP. Admittendus esset, & ita obseruatum Paduæ,

inquit

inquit Castrenf.in l.huiusmodi, 86.§. Legatum est ita ff. de legat.1.tit.3.& Iaf.ex Felyn. quem ibi allegat ita Ferrariæ etiam feruatum refert num.11.

Schol. fecundum.

Quæro. Huiusmodi Collegium poffet ne effe executor teftamentarius?

RESP. Dubitauit Bald.in l.id quod 24.Cod.de Epifcop.& Cleric.num.8. vbi tamen affirmatiuam fententiam tenet.

CLEMENS VIII.

CONSTIT. I. aliàs CIX.

Edita Anno 1593.

QVoniam noftro Paftorali, & infra, pagina 43. Bullarij.

COMPENDIVM.

Prohibet Religiofis Ordinis Fratrum Seruorum Beatæ MARIAE Virginis appellare à Prælatis eiufdem Ordinis ad tribunalia fæcularia fub pœna perpetuæ priuationis Officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia, & vocis actiuæ, & paffiuæ abfque alia declaratione incurrenda,excommunicationisq. latæ fententiæ, §.1.& 2. Recurfum ad Generalem,& Protectorem permittit,d.§.2. Fautoribus eafdem pœnas imponit, §. 3. Attentanda irritat,§.4. Contrarijs derogat, §.5.

Schol. primum.

Quæro. Illa verba (*abfque alia declaratione*) nonne funt fuperflua,cum verba (*fub pœna priuationis*) à lege prolata importent canonem latæ fententiæ?

RESP. Non, quia in contrarium eft communis opinio, quod importent canonem ferendæ fententiæ, abfque illis verbis,quam fecuta eft Rota in decif.Purei 129. libro 3. in Nouis,in verf. Non obftat.

Schol. fecundum.

Quæro. Recurfus permiffus in §. 2. intelligitur etiam in minimis negotijs?

RESP. Non, fed in grauibus, quia fi permitteretur in minimis,redundaret in maximum Religionis detrimentũ, vt to his terminis fcribit Roderic.de Quæftionibus Regular.tom.1. quæft.29.artic.3.

II aliàs CXX.

Edita Anno 1593.

QVo viri qui tum falubribus, & infra, pagina 43. Bullarij.

COMPENDIVM.

Sixtus Quartus Statuta Collegij Phyficorum Vrbis confirmauit,§.1. Clemens VII. illa, & alia approbauit,Ipfeq; & alij Pontifices multa d. Collegio, & Protomedico priuilegia dederunt fuper approbatione Phyficorum,Chirurgorum,& Aromatariorum examinatione fimplicium,compofitorumque medicinalium. Exercitio Aromatariorum facultate promouendi ad gradus, Iurifdictione cognofcendi caufas. Correctione Aromatariorum, Vifitatione Aromatariarum,& deftinatione commiffariorum,§ 2.Protomedicus ideo, & Collegium incolumitati Incolarum Status Ecclefiaftici incumbẽtes reformatis aliquis Statutis, alia pro fæliciori Collegij regimine ftatuerunt,§.3. Hic Pontif.prædictas gratias & Statuta confirmat.§.4.& 5. Et fic, & non aliter iudicari mandat, §. 6. Executorem deputat A.C.§.7. contrarijsq; derogat,§.8.

Schol. primum.

Quæro. Cur tot priuilegijs donatur Collegium Medicorum Romæ, fi Romani mel fexcentum annis Medicis carere voluerunt, & eis receptis res in deterius venit, vt ex Plinio lib.29. vel 30. colligi fcripfit Cagnol. in L.2. §.poft originem,ff.de Orig.Iur.num. 108. & fequen.?

RESP.Quicquid hactenus egerint Romani ars medicinæ comperta eft veriffima, & eius regulæ ortæ funt ab experientia, vt ait Ariftot. in proœm. Metaphyf.& poft Bald.& alios refert Boer. decif.323.num. 22. Non mirum ergo fi priuilegijs decoratur, cum circa hominum falutem verfetur l. 1. cum ibi not. ff. de Var.& extraord. cognit. & l. Medico 6.Cod.de Profefforib.& Medic.lib. 10.

Schol. fecundum.

Quæro. Si iftud, vel fimile Collegium reduceretur ad vnum,gauderet his priuilegijs?

RESP Gaudere probat expreffe Vlpian. in l. ficut 7. §.1.ff.Quod cuiufq; Vniuerf. nom. dum inquit, quòd ius omnium in vnum recidit, Starque nomen Vniuerfitatis, & tenet Panormit.conf.25.lib.2.num.2.

III. aliàs CXXI.

Edita Anno 1594.

ASfidua Pietatis, & infra, pagina 44. Bullarij.

COMPENDIVM.

Dat authoritatẽ Congregationi Clericorum Miniftrantium infirmis vt in qualibet eorum domo tres ex antiquiffimis Patribus à Capitulo Conuentuali deputati eamdem habeant poteftatem in recipiendis Nouitijs, quæ commiffa fuit Capitulis generalibus, & Prouincialibus alijfq; deputandis iuxta bullas Sixti V.§.1. Cõtrarijfq;derogat,§.2.

Schol. primum.

Quæro. Vnde eft, quòd Scipio vicinus nofter ad hanc religionem admiffus fuit poft illas Sixti conftitutiones, & ante huius Pontificis difpenfationem, eiufque profeffio valida fuit pronunciata?

RESP. Quia die 20.Martij 1592 hic idem Clemens huic Congregationi facultatem concefferat ab ifta parum difcrepantem.

Scholium fecundum.

Quæro. Quæ erat huiufmodi facultas?

RESP. Quod fuperiores locorum, vnà cum duobus Fratribus grauioribus eiufdem loci, in quo aliquis recipi vellet,informationes circa recipiendi qualitates,diligenter caperent,& iuxta formam conftitutionum Sixti V. & Gregorij XIV. idoneum repertum admitterent.

VI. CXXII.

Edita Anno 1601.

SAnctiffimus D.N. Clemens, & infra, pagina 44. Bullarij.

COMPENDIVM.

Litaniarum vfum,præter in Breuiarijs,Miffalibus,Pontificalibus, & Ritualibus contentas, & Litanias de Beata Virgine in Sacra Æde Lauretana decantari folitas, aut à Sacra Congregatione Rituum approbandas prohibet,§.1. Contrauenientes præter peccatum arbitrio Ordinarij, & Inquifitoris feuerè coerceri iubet,d.§.1.

Schol. primum.

Quæro. Litaniarum nomen vnde fumptum?

RESP. A verbo Græco λιτανεύειν quod eft fupplicare, & vota fufcipere cap.3. vbi glof. & Scribb.communiter de Confecr.dift.3.Quibus fupplicationibus, & Litanijs S. R. E.per vniuerfum Orbem & quibufcunque temporibus vti confueuit,ad rogandum Deum, vt etiam interceffione Sanctorum,non folùm à peccatorum nexu.fed & ab alijs calamitatibus,peftilentijs, feditionibus, bellis, alijfque huius generis malis liberet, vt notiffimum eft.

Schol.fecundum.

Quæro. Quid eft quod fertur de Litanijs Maioribus, & Minoribus?

RESP. Litania maior fit in fefto Sancti Marci die 25. Aprilis, alia minor fit tribus diebus ante Afcenfionem Domini

Domini, Illa vocatur maior, quia à B.Gregorio Magno instituta, vel potius innouata fuit ad euitationem maximi (qui tunc irrepserat) morbi in Vrbe, quæ mundi caput est. Ista verò minor instituta fuit à B. Mamerto Episcopo Viennense, ob maximam pestem ferarum, quæ in Gallijs homines crudeliter perimebant, vt scribit Turrecremat. in d.cap.3. de Consecrat. dist.3.num.1. & seq. De quibus tamen fusius agit Couar. Var. resolut. lib.4.cap.20. sub nu.16. Baron. in Martyrolog. dicta die 25. Aprilis, & Gratian, Disceptat. forens. cap.195. num.29.

V. aliàs CXXIII.

Edita Anno 1595. & 1604

EX quo diuina, & infra, pag.45. Illos Apostolicæ, & infra pagina 45. *Item*, Illos Apostolicæ, & infra, pag.46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Alexander Episcopus Lucensis anno 1583. Instituit in illa Ciuitate congregationem Clericorum sæcularium in communi viuentium sub inuocatione B.MARIAE Virginis, §.1. Quam ipse Papa approbat, §.2. Et de nouo eam instituit, §.3. Facultatem pro eius regimine Statuta cōdendi tribuit, §.4. Eiusdemque Confessoribus authoritatem omnium ad eos confluentium confessiones audiendi concedit, §.5. Illius Prælatis potestatem omnes absoluendi à censuris non reseruatis in Bulla Cœnę Domini impartitur, §. 6. Maiori d.Congregationis facultatem inobedientes coercendi præstat, §.7. Recipiendos in congregatione, ad votum reficiendi impensas in casu discessus obligat, §.9. & seqq. Ecclesiarum B.MARIAE in Porticu de Vrbe eidē congregationi cōcedit, §.15. Licentiamq. noua loca vbique de consensu Ordinariorum recipiendi relaxat, §.15. Executores deputat, §.16. contrarijsq; derogat, §.17.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est, quod ista congregatio volens modò nouum locum ædificare, non satis ei fuit licentia ab Ordinario de plano obtenta?

R E S P. Quia hic idem Clemens iam statuerat in sua constit.99. quòd corā Ordinarijs vocarentur alij Religiosi in eadem ciuitate loca habentes, & licentiā causæ cognitio præcederet, ita quòd hoc simplex priuilegium noua loca construendi de licentia Ordinarij intelligen. est de licētia dāda iuxta formā in præcedenti constitutione firmatā.

Schol. secundum.

Quæro. Clausula subsequens derogatoria contrariorum non ne continet derogationem d. præcedentis constitutionis?

RESP. Non, quia istæ constitutiones inter se non contrariātur, vt dixi, quo casu clausulæ derogatoriæ solum operantur roborationem, non autem extensionem gratiæ, Roman. cons.498. nu.19. vbi Apostille adducit concord.

PAVLVS V.

CONSTIT. I. aliàs LXXXIX.

Edita Anno 1611.

POstulat ratio Pastoralis Officij, & infra, pagina 46. Bullarij.

COMPENDIVM.

Monasteria congregationis Montis Virginis Ordinis S.BENEDICTI constituit esse vigintiquatuor, §.1. & 2. Quorum decem & tria per Abbates regantur. §.3. Alia, vndecim per Priores. §.4. Qui Priores in locum decedentium Abbatum, iuxta eorum merita sufficiantur. §.5. Ex quibus tres eligantur, qui vocem electiuam habeant in Capitulo. §.6. Decanus Diffinitores, Procurator Generalis, & Abbates prædicti, in Capitulis, ac electione Abbatis, & Diffinitorum vocem habeant. §.7. Abbates isti gaudeant Priuilegijs Abbatum Camaldulensium. §.8. Si Officio cesserint quando vocem habeant §.9. In alijs 19. Monasterijs quæ prædictis vnita sunt, qui Monachi sint collocandi. §.10. Et qui in alijs domibus. §.11. Si ex eis aliquod ad formam Monasterij reducetur cum dote pro alendis saltē sex Monachis restituantur sub tit. Abbatis, aut Prioris gubernandum §.12. Nouitiatus quatuor erigantur de nouo. §.13. & 18. Qui aliorum gratijs perfruantur. §.14. Nouitij vt recipiendi, & alendi, & quot §.15. & seq. Abbas, Prior, & Cellarius in propria Patria non eligantur. §.17. Monachorum, ac Nouitiorum, ac aliorum habitus qui. §.19. Filiationes permittuntur instar congregationis S.Benedicti. §.20. Abbates, & Priores vbi prædicare possint. §.21. Doctoratus gradum qui, & quando suscipiant. §.22. Oblatorum professio, & nouitiatus qui §.23. & 24. Aliorū seruientium habitus qui. §.25.

Schol. primum.

Quæro. Capitulum huius congregationis quomodo celebratur?

R E S P. Longa oratione opus esset, perlege igitur Congregationis Constitutiones nuper cum declarationibus editas, cap.64. num.11. & seqq.

Schol. secundum.

Quæro. Abbas Generalis poterit vti Mozzetta, vt aliàs vti posse prętendebat?

RESP. Accipe verba Decreti Illustrissimorum, & Reuerendissimorum Cardinalium congregationis super Ritibus die 9. Maij 1609. editum.

Sacra Rituum Congregatio censuit, Abbati Generali Congregationis Montis Virginis posse concedi, vsum Mozzettæ, seu Bauari lati, cum Caputio, & sine Bireto, & in terris, & locis tantùm suæ iurisdictioni subiectis, & ita declarauit die 9. Maij 1609.

Dominicus Cardinalis Pinellus.

I I. aliàs XC.

Edita Anno 1568.

SEdis Apostolicæ prouidentia, & infra, pagina 48. Bullarij.

COMPENDIVM.

Gregorius XIII. cuiuscunq; Ordinis Regularibus prohibuit, ad regiones Chinæ, & Iaponum absque Sedis Apostolicæ licentia proficisci, prędicandi causa, aut doctrinam Christianam docendi credens Religiosos Societatis IESV hæc sufficienter implere posse. §.1. Clemens VIII. in constit.74. de qua sup. pag. 20 10.3. hos religiosos non sufficere videns omnium Mendicantium Ordinum Superioribus indulsit, vt spectatæ vitæ Religiosos per Lusitaniam tantūmodo transmittant ad Indos, & Iapones. §.2. Prohibuitq; ne ex Insulis Philippinis, vel alia Indiarum Occidentaliū parte in Iaponicas, vel finitimas regiones transirent. §.3. Sed quia ex insinuatione Regis Hispaniarum cognouit hic Pont. quòd dicta prohibitio nihil profecit eam reuocat, & ad dicta loca, aliàs quàm per Lusitaniam accedi permittit, & in reliquis d.Constitutionem Clementis VIII. seruari præcipit, §.4. contrarijs omnibus derogat. §.5. Transumptisque huius Bullæ credi mandat. §.6.

Schol. primum.

Quæro. Temporibus supradicti Greg. XIII. illi Societatis IESV Religiosi, de quibus in §.1. aliquid ne profecerunt in illis partibus?

RESPON. Eorum opera (hoc vnum cæteris prætermissis dixisse sufficiat) præceptis Christianæ Religionis, & doctrinæ imbuti, Baptismi Sacramentum suscipientes, anno 1582. Franciscus Bungi. Prothasius Arimanorū Reges, ac Bartholomæus Omuranorum Princeps, duos ex eorum consanguineis præclaros Principes, ad Gregoriū Pontificem, duce Patre Visitatore dictę Societatis IESV, transmiserunt, quorum Legatio Regum Iaponis, nunquam antea audita, Deo fauente ad finem vsque perducta fuit de

anno

anno 1584. Quamobrem in Sacro Cõsistorio collacrymatus præ lætitia Gregorius honorificè eos excepit. Vt autem quæ in eo Consistorio tunc acta fuerunt vberius percipias, perlege literarum exempla prædictorum Regum è Iaponico idiomate in Latinum versa in Bibliotheca Genitoris mei reperta, ac etiam responsi ab Antonio Buccapadulio Secretario Pontificis, eiusque nomine eis dati.

EXEMPLAR LITERARVM REGIS BVNGI.

SVMMI Dei auxilio suppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem vestram scribere aggredior. Dominus rector Cæli, terręque, cuius imperium super Solem, Lunam, & Stellas, ignoranti mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suę lumen iussit splendescere, ac nostratibus præcipuè populis referans arcam suæ misericordiæ, atque gemmarum, dignatus est ante annos ampliùs quatuor, & triginta destinare in hæc Iaponis regna Patres è Societate IESV; quorum è salutari, ac diuina semente, nonnihil in meum quoque, Dei benignitate, cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliàque multa, ô Sanctissime totius Christiani populiparens, vestrę potissimùm precationi, meritisque accepta equidem refero. Ac proindè, nisi me bella, senium, & affecta valetudo impedirent; conferrem ipse me ad visenda, ac veneranda sacratissima isthæc loca, ac simul obedientiam exhibens; pedes V. Sanctitatis, post pia ipsorum oscula, capiti meo superimponere, & Sanctissima vestra manu pectus meum signo Crucis muniendum curarem. Sed quoniam ijs, quas dixi causis impedior, sororis meæ filium D.Hieronymum Regis Fiungi filium cogitabam legare pro me. Verùm quandò is in præsenti longè abest, & P. Visitatoris instat profectio, D.Mancium eius consobrinum eodem nomine mittere visum est à V.Sanctitate magni beneficij accipio loco, si pro ea, qua fungitur in terris Dei vice, meque, & Christianum hunc gregem, vti facit, fouere, atque adiuuare perrexerit, Reliquiarium thecam; per eundem P. Visitatorem à V. Sanctitate mihi dono transmissam accepi libens, ac meo vertici veneraburidus imposui; atque ob id V.Sanctitati gratias ago, habeòque tantas, vt explicandis ijs nullę, neque linguæ, neque ora sufficiant. Non ero longior: quippe tum de regni huiusce rebus, tum de me ipso coram ex P. Visitatore, & ex D.Mancio plura cognoscet Sanctitas V. quam ego verè, & ex animo adorans, multo cum timore, ac tremore hasce literas exaraui xj. die Ianuar. anno post Domini aduentum 1582.

Supradictarum literarum hæc erat inscriptio.

Adorando, & cæli regis in terris locum obtinenti magno, & sanctissimo Papa.

Exemplar Literarum REGIS ARIMANORVM.

CVM Dei gratia demissè, & humiliter hasce literas offero Sanctitati V. ante hoc biennium, qui fuit annus ab aduentu Domini 1580. per Quadragesimam, quibus maximè diebus preciosa passio Domini Nostri Iesu Christi recolitur; in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum, familiæque meæ perturbatione, denique in profundo Gentilium tenebrarum iacenti mihi, dignatus est pater misericordiarum, lucem veritatis, & rectum ad salutem iter ostendere per venerabilem Visitatorem, aliosque verbi Dei prædicatores è Societate Iesu, qui enixè me adiuuerunt, perque Baptismi Sacramentum, super me, meosque Diuinæ gratiæ rorem è Cœlo deuocarunt. Pro quo tali, ac tanto beneficio mirè lætus, infinitas Regi Cęlorum ago gratias. Cumque Sanctitas Vestra Christianum gregem vniuersum moderetur, & pascat, valdè mihi fuit optatu, istuc venire, coràmque humi stratus magna cum submissione exhibere illi obedientiam, & post pedum oscula beatorum, eosmet meo capiti superimponere. Sed quoniam rebus varijs impedito id mihi non licet, mitto cum eodem P. Visitatore patruelem meum Dominum Michaelem, vti pro me hoc munere pietatis, officijque fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet V. Sanctitas: ac proindè non ero fusior. Quam ego ex animo sincero, & humili venerabundus adoro. Die viij. Ianuarij, anno post Domini aduentum Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo.

Supradictarum literarum, hæc erat inscriptio.

Reddatur Epistola magno illi, & sancto Domino quem adoro Dei Vicegerentem.

Exemplar Literarum BARTHOLOMAEI OMVRANORVM, PRINCIPIS.

VEreor ne crimen audaciæ subeam, attamen cum Regis Cęlorum gratia rudem hanc Epistolam offero Sanctitati vestræ, quæ cum in terris locum obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina, & magisterio Christianus populus pendeat vniuersus, æquum sanè fuerat memet trans Maria mittere, ipsumque ad Sanctitatem vestram inuisendam venire, Sacrosque eius pedes post illorum oscula, super caput meum imponere. Sed quominus hoc fungar officio multæ me hoc tempore prohibent causæ. Nuper ad hæc tàm remota loca lustranda P. Visitator è Societate Iesu venit, multisque rebus piè, & laudabiliter institutis, iam

iam nunc redit in Patriam, qua ego tàm præclara occasione inuitatus deesse nolui, quin fratris mei filium Dominum Michaelem cum eo mitterem istuc, qui licèt muneri tanto sit impar gratissimum tamen mihi fuerit si eum Sanctitas Vestra ad beatorum pedum oscula admiserit. Interea Sanctitatem vestram supplex oro, & obtestor, vt mei memoriam conseruare, ineque & Iaponicos hosce Christianos fouere dignetur. Id vnum in votis mihi est, reliqua ex P. Visitatore, & ipso Domino Michaele eorum cognoscet S.V. quam ex animo adorans cum timore scripsi Die 27. Ianuarij Anno post Domini aduentum 1582.

Supradictarum literarum hæc erat inscriptio.

Sublatis manibus adorans Sanctiss. D. Papa Magni Dei Vicesgerenti has literas offero.

Exemplar supradicti responsi, Pontificis nomine dati ab Antonio Buccapadulio Secretario Apostolico, post habitam in Consistorio publico ab Oratore præfatorum Principum obedientiam ei præstantium orationem.

QVòd Franciscus Bungi Rex, & Protasius Arimanorum, Protasijque patruus Bartholom. Omuræ Princeps, ab Iaponiorum Insulis remotissimis vos suos propinquos huc ad se miserint, eius quam obtinet Dei benignitate potestatis coràm venerandæ causa, piè illos, sapienterque fecisse. Esse enim vnam fidem, vnam Ecclesiam Catholicam, vnum huic ipsi Ecclesiæ præfectum, Christique gregis vniuersi, hoc est Catholicorum omnium, qui vbique terrarum sunt, Petri successione pastorem, Romanum Pontificem. Hoc illos vnà cum cæteris fidei orthodoxæ mysterijs agnoscere, & profiteri lætatur, immortalesq; agit gratias diuinæ bonitati Sanctiss. Dominus noster, iudicatq; hanc esse lætitiam verissimam à Dei gloriæ, atque animarum salutis studio profectam. Itaque libentissimè vna cum his Venerabilibus fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, hanc illorum fidei, obedientiæ, deuotionis testificationem amplectitur. Optat atque orat, vt illorum exemplo, cæteri quoq; illarum Insularum, totiusq; orbis Reges, & Principes, omni idolorum cultu, atque errore abiecto, cognoscant Deum verum, & quem ille misit Iesum Christum hæc est enim vita æterna. Sic me vestræ orationi iubet respondere S.D. Noster, Iuuenes nobilissimi.

Schol. secundum.

Quæro. Post permissionem Clementis VIII. de qua in §.4. alij ne alterius Ordinis Religiosi, apud Iapones simile quicquam egerunt?

RESP. Id petis, quod his temporibus omnibus quippe notissimum est Ludouicum scilicet Sotelo, & alios Fratres S. Francisci de Obseruantia multum circa Iaponiū conuersionem profecisse; Ideoq; ab Idate Massamune Voxij Rege, illum, & Faxecura Rotuyemon nobilem suæ domus Equitem huius rei causa ad hunc summum Pontificem legatos venisse. Veruntamen, vt de his aliquid posteritati innotescat hic cudendum duxi literarum d. Regis exemplar, ac responsi, iussu eiusdem Pauli Quinti illius Oratori dari post habitam nomine legatorum prædictorum 3. Nouembris 1615. orationem coram ipso Pontif. in aula pro Consistorio destinata, in S.R.E. Cardinalium consessu, atque nonnullorum Principum, Antistitum, & Prælatorum frequentia cætera missa faciens quę copiosiori tractatu prosecutus est Scipio Amatus Romanus I.V.D. & huius legationis ad summum Pontificem interpres, itinerisq; comes.

Exemplar literarum

REGIS VOXII.

CVm venisset Pater frater Ludouicus Sotelo Ordinis Sancti Frācisci religiosus ad meum Regnum, & in eo Christianam legem prædicasset, me inuisit, ab eoque eam audiui, & mysteria multa, quæ de ritu sunt; & cæremonia Christianorū, aperuit, quæ sanè in corde recondens, & perscrutans cognoscens vera esse, & salubria, susciperem profitenda, nisi me aliqua negotia deturbarent, & inexcusabiles causæ detinerent, si tamen pro nunc ego non valeam, cupio saltim meas gentes, & subditos populos Christianos fieri; hoc, vt fæliciter eueniat, ad me mittas quæso, Beatissime Pater, Religiosos Ordinis s. Francisci, qui de Obseruantia nuncupantur; hos enim præcipuè diligo, & obseruo; tua verò Altitudo ipsis amplè concedere non horreat omnes licentias, fauores, & quæcunq; alia ad id necessaria. Ego autem iam terram hanc ingressos adiuuare non desistam: sed in Monasterijs ædificandis, & in alijs rebus, quibus potero beneficijs inseruiam; similiterq; expostulo, vt in meo Regno disponas, gubernes, instituas, omnia ea, quę ad propagandam sanctam Dei legem vtilia tibi fore placuerint, præcipuè, vt in eo instituas, & crees quendam magnum Prælatum instanter supplico, cuius obseruantia, & solicitudine omnes, qui in eo habitant, quam pridie Christianos fieri non dubito; de ipsius autem expensis, & redditibus ne quęso anxius sis, quia vt copiosè fiat, nostræ solicitudinis, & curæ proprium esse volumus. Cuius rei causa ad te mitto præfatum fratrem Ludouicum Sotelo legatum meum, à quo possis de corde meo, quæ tibi visa fuerint sciscitari; optimè namque nouit, quæ circa prædicta in eo sunt, & hæc vt effectū habeant, ipsi rogantes misso beneuolas aures concedas; & honorem præbeat tua Beatitudo, cui etiā comitabitur quidam nobilis eques domus meæ, qui Faxecura Rotuyemon nominatur, qui similiter legatus meus existit, vt ambo mei vices agentes obsequij, & obedientiæ causa ad sanctissimam vsque Romanam Curiam peruenientes tuos beatissimos pedes pro me osculentur, & si forte prædictus Pater frater Ludouicus Sotelo in via fuerit vita functus quilibet alius ab ipso designatus, vt

Lega-

Legatus ad te admittatur tanquam si ipse viueret. Cognoui præterea, quod meum à Nouæ Hispaniæ Regnis, quæ potestati, ac ditioni potentissimi Regis Hispaniæ Philippi subsunt, non multum distat: Qua propter cum desiderio communicandi cum ipso, & cum illis Christianorum Regnis, eius amicitiam exopto, quod equidem sic fore confido, si tua auctoritas interueniat, precibus humiliter peto, vt hoc Altitudo tua incipiat, & ad finem vsque perducat, maximè quia necessaria via religiosis à te in hoc Regnum missis est. Præ omnibus pro me orabis omnipotentem Deum, vt ad eius amicitiam valeam peruenire. Si verò in hoc Regno aliqua videris tuo obsequio, & voluntati gratiosa, iubeat Altitudo tua, quoniam, vt voluntati tuæ respondeamus, totis viribus adimplebimus. Hæc autem licet exigua sint dona, quia tamen ex longinqua regione adueniunt, cum reuerentia, & timore pauca, ex Iapone tibi offero. In omnibus alijs nos remittimus ad prædictum Patrem Sotelo, & Equitem Rotuyemon, & ea, quę ex parte nostra tractauerint, & rata fecerint, ipsa, & rata esse volumus. Ex Ciuitate, & Curia nostra Fendái anno decimo octauo ætatis Quecoquarto, die Lunæ nonæ, idest Anno Salutis 1613. Pridie Nonas Octobris.

Supradictarum literarum hæc erat inscriptio.

Magni, & Vniuersalis, Sanctissimique totius Orbis Patris Domini Pauli Quinti pedes cum profunda submissione, & reuerentia osculando, Idate Masamune in Imperio Iaponico Rex Voxij suppliciter dicimus.

Exemplar suprascripti responsi, Pontificis nomine à Petro Stroza Secretario Apostolico domestico dati.

IVcundissimum Sanctissimo Domino Nostro Nuncium attulistis, Oratores, piè, ac religiosè Dei Sacerdos Ludouice, & Eques generosè Philippe Faxecura Idatem Masamunem Regem Voxij, cuius tàm latum inter Iaponicos Imperium tàm amplæ, ac validæ copiæ, atque vires, adeò firma præsidia; cum ex continuo, expeditoque belli apparatu, tùm ex arctissimo, ac duplici cum summo Iaponiæ Rege affinitatis vinculo; succensum Diui amoris ardore, Christianam fidem recepisse, & adhuc Cathecumenum, fidei propagationem, verumque Dei cultum apud suos summo zelo curauisse, ac vos eadem de causa ad sanctã Apostolicam Sedem legauisse. Gaudet summopere Sanctitas sua, & Deo gratias ingentes agit, quòd ministerij sui Apostolici tempore, Christi Domini Euangelium fœliciter audiri in Orientalibus Iaponiæ partibus cæperit, eiusque rei Nuncium allatum esse trigesimo tertio anno postquam ex Occidentalibus illius amplissimæ Insulæ regionibus primi Christianorum ad summum Pontificem legati Nauem conscenderunt. Quasi verò spes, quæ affulserat absoluendi per totum terrarum Orbem prædicationis Euangelicæ circulum, adimpleri, ac perfici debuerit mysteriosa annorũ periodo, qua humani generis Redemptor in terris peregrinari dignatus est. Diuina igitur misericordia fretus Sanctissimus Dominus Noster vtique sperat, Regem Idatem quantocyus candidam ex fonte sacri baptismatis vestem sumpturum, sicut ad eius animæ salutem illum efficacissimè hortatur. Qua fiducia amantissimè recipit vnà cum his venerabilibus fratribus suis S. R. E. Cardinalibus hanc eius piæ voluntatis declarationem, delatumque per vos sibi, ac sanctæ Apostolicæ Sedi obsequium, ac venerationem. Et Deum toto cordis affectu precatur, vt per immensam eius bonitatem perficiat, quod per ineffabilem suam clementiam in Rege Idate incępit, nihil, & ipse interea prætermissurus, vt quantum cum Domino fieri poterit, ipsius Regis pijs, ac iustis desiderijs satisfiat, subiectorumque ei populorum spirituali solatio opportunè prospiciatur. Sic me vobis respondere iussit.

III. aliàs CXXI.

SAcrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & infra, pagina 49. Bullarij. *Edita* Anno 1615.

COMPENDIVM.

Henricus Episcopus Parisiensis, & Maria Francorum Regina, ad restituendam, fouendamque Ecclesiasticam disciplinam, supplicant Papæ, pro institutione Congregationis Priorum Sacerdotum in eo Regno, eiusque regimen committi Petro de Beralle Presbytero Parisiensi, §. 1. Qui ideo Pontifex eam instituit, & Congregationem Oratorij IESV Christi Domini Nostri nuncupari decernit, §. 2. Dictumque Petrum Præpositum deputat dictorum Piorum Sacerdotum, qui in simul in communi viuunt, eorumq; pręcipuum sit institutum, perfectioni Status Sacerdotalis totaliter incumbere, §. 3. Dat eidem facultatem in locis, ad quæ per Ordinarios vocatus fuerit, eiusmodi Congregationes instituendi. & quæcunque necessaria pro earum regimine statuendi, §. 4. Eas tamen à congregatione Parisiensi dependere iubet, §. 5. Quam congregationem ad minus presbyteros duodecim, alias verò saltim decem habere pręcipit, §. 6. Legatorum, & eleemosynarum perceptionẽ permittit, §. 7. Contrarijsq. derogat, §. 8. Indulgentias quoque personis d. Congregationis elargitur, §. 9.

Schol. primum.

Quæro. Quis author pridem descripsit, quæ ad perfectionem Status Sacerdotalis, de quo hic dicitur in §. 3. necessaria videntur?

RESP. Ex antiquioribus D. Ambrosius in suo libello de Sacerdot. & ex recentioribus Petrus Besseus in opusc. inscripto Regale Sacerdotum, vltra alios quamplures, quos congerit in suo, quem edidit Iodice Vniuersali P. Fabianus Iustinianus presb. Congregationis Clericorum secularium Oratorij de Vrbe in V. Sacerdos, & etiam in Appendice.

Schol.

Schol. secundum.

Quæro. De Oratione autem circa passiones eiusdem Domini Nostri IESV Christi, de qua in §.2. quis me edocebit?

R E S P. Habes in d. Indice in V. Passio, & Oratio plures de hac re scribentes, quos longum esset hic recensere.

I I I I. aliàs CXXII.

Edita Anno 1612. & 1613. CHristifidelium quorumlibet, & infra, pagina 51. *Item*, Cum dilecti filij, & infra, pagina 60. Bullarij.

C O M P E N D I V M.

Congregatio Presbyterorum sæcularium Oratorij de Vrbe suas edidit constitutiones, & pro earum confirmatione Papæ supplicauit, §. 1. Quarum prima est circa Oratorium, & Orationem in cap. 1. Secunda circa Ecclesiam, & diuina officia in capit. 2. Tertia circa vsum familiarium sermonum, tàm in Ecclesia, quàm in Oratorio in c. 3. Quarta circa statum perpetuum Congregationis in cap. 4. Quinta circa munus, & electionem Præpositi Congregationis, & quatuor Presbyterorum deputandorum in cap. 5. Sexta circa personas in Congregatione recipiendas, vel inde eijciendas in cap. 6. Septima circa Tyronum institutionem in cap. 7. Octaua circa quasdam præcipuas Congregationis obseruationes in cap. 8. Nona circa vestitum, & consuetudinem familiarem in cap. 9. Decima circa Triclinium, & communem mensam in cap. 10. Vndecima circa lectorem, & lectionem ad mensam, cap. 11. Duodecima circa dubia in mensa proponenda in cap. 12. Decimatertia circa declarationem dubiorum emergentium in constitutionib. Congregationis ibidem in vers. Appendix. Decimaquarta circa Oratorium, & orationem, de qua in cap. 1. vt ibidem in versic. Appendix. Decimaquinta circa interlocutiones dominicis diebus in cap. 13. Decimasexta circa exercitationes in diebus festis in cap. 14. Decimaseptima circa munus exterorum in Oratorio in cap. 15. Decimaoctaua circa ordinem electionis eorundem exterorum in Oratorio in c. 16. Post hæc sequitur B. institutoris admonitio in cap. 17. Et huius Pontificis prædictarum Ordinationum confirmatio in §. 2. Et eiusdem præceptum de eis obseruandis, §. 3. Ac decretum irritans, §. 4. Contrariorumque derogatio, §. 5. Subsequitur in annexa constit. prohibitio ne aliæ congregationes Statuta vbique gentium edant sub denominatione B. Philippi Neri), neque huius instituti domos in Vrbe instituant, §. 3. Quibuscunque non obstan. §. 4.

Schol. primum.

Quæro. Vnde est quòd in Vrbe vidi de hoc Beato Philippo Missam, & Officium celebrari in Ecclesia huius congregationis Oratorij, vbi eius corpus requiescit?

R E S P. Accipe Pauli Papæ Quinti diploma in quo hàc licentiam dictæ congregationi primùm, & alijs postmodum concessam comperies, huius tenoris videlicet.

P A V L V S P A P A Q V I N T V S
Ad perpetuem rei memoriam.

Licentia Papæ celebrãdi Missã, & officiũ de Beato Philippo Nerio in die sui obitus datur Cõgregationi Oratorij de Vrbe.

§. 1. A Liàs nomine dilectorum filiorum Præpositi, & Presbyterorum Congregationis Oratorij in Ecclesia Sanctæ MARIAE, & Sancti Gregorij in Vallicella de Vrbe nobis exposito, quod ob singularia virtutum, & gratiarum dona, quibus seruus DEI PHILIPPVS Nerius Florentinus dictæ Congregationis Fundator à Domino illustratus fuerat, & ob eum, quem propterea erga eundem DEI seruum Christifideles gerebant deuotionis affectum Missam, & Officium de eodem Seruo DEI celebrare, ac recitare posse summopere desiderabant. Nos Præpositi, & Presbyterorum prædictorum supplicationibus humiliter porrectis inclinati, eidem Præposito, & Presbyteris dictæ Congregationis de eadem Vrbe, tunc, & pro tempore existentibus, vt in die duntaxat obdormitionis in Domino dicti Serui DEI Philippi Nerij in eadem Ecclesia Sanctæ MARIAE, ac Sancti Gregorij in Vallicella de Vrbe Missam, & Officium, alijs verò omnibus, & singulis, tàm sæcularibus, quàm regularibus Presbyteris, vt Missam de dictis Seruo DEI Philippo tanquam de Confessore non Pontifice, iuxta formam, & rubricas Missalis, ac Breuiarij Romani in prædicta Ecclesia solummodo vbi eius corpus requiescere asserebatur celebrare, & recitare, liberè, & licitè respectiuè valerent, Apostolica auctoritate licentiam, & facultatem perpetuò concessimus, & impartiti sumus, prout in nostro in simili forma Breuis sub die 25. Maij 1615. desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Et postmodum eadẽ licentia alijs Cõgregationibus cõceditur.

§. 2. Cum autem sicut Præpositus, & Presbyteri prædicti nobis nuper denuò exponi fecerunt, ipsi ad augendam per amplius Christifidelium erga dictum Seruum DEI Beatum Philippum deuotionem, licentiam, & facultatem prædictas ad infrascriptas Congregationis Oratorij domos extendi summopere desiderent. Nos pijs Præpositi, & Presbyterorum prædictorum votis quantum cum Domino possumus annuere, illosque amplioribus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, posterioribus huiusmodi supplicationibus inclinati, De Venerab. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritib. Præpositorum consilio, Presbyteris tantùm, & Clericis domorum Congregationis Oratorij ad instar primodictæ erectarum, Neapolitan. Firman. Tauormitan. Camerinen. Fanen. & Aquilan. Ciuitatum nunc, & pro tempore existentibus, vt in die tantùm obdormitionis in Domino dicti Beati Philippi Nerij in Ecclesijs earundem domorum solummodo Missam, & Officium de dicto Beato Philippo tanquàm de Confessore non Pontifice, iuxta formam, & rubricas Missalis, & Breuiarij Romani celebrare, & recitare liberè, & licitè valeant, dummodo tamen Presbyteri, & Clerici dictarum domorum, Ciuitatum prædictarum ordinationes, & instituta domus Congregationis Oratorij de Vrbe huiusmodi aliàs à nobis confirmata receperint, & illa pro viribus obseruare intendunt, dicta auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

Contraria derogat.

§. 3. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus illis, quæ in dictis Literis volumus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis, & manu Præpositi domus dictæ Congregationis de Vrbe subscriptis, & illius sigillo munitis eadem prorsus fides in iudicio vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. Pont. an. 11. die 19. Martij 1616.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 19. Martij 1616. Pontificatus nostri Anno Vndecimo.

Schol. secundum.

Quæro. Quis me edocebit acta, ac vita ipsius B. Philippi? R E-

RESP. Luculenter omnia in annos digesta descripsit Alumnus eius Antonius Gallonius eiusdem Congregationis Presbyter in suo desuper libello Romæ edito anno 1600. & iterum Neapoli anno 1608. Et nouissime Petrus Iacobus Baccius Aretinus eiusdem Congregationis Presbyter in suo opere Romæ hoc ipso currenti anno 1622. peruulgato eiusdem B. Viri vitam ex processu super illius Canonizatione impetranda confecto fusius conscripsit. At Sanctissimus D.N. D. Gregorius XV. Deo fauente, totoque Vrbis applausu inter Sanctorum Confessorum numerum eumdem B.Philippum adscripsit die 12. Mensis Martij eiusdem Sanctissimi Pontificatus anno II. qua S.Gregorij Magni festum Romæ solemniter celebratur.

V. aliàs XCIII.

Edita Anno 1614.

PRouisionis nostræ debet prouenire subsidio, & infra pagin.60. *Item*, Prouisionis nostræ, & infra, pagina 62. Bullarij.

COMPENDIVM.

Clemens VIII. instituit duos Assistentes Prioris generalis Fratrum Eremitarum S. Augustini, §.1. Eorum electio ad quem spectet declarauit, §.2. Sedi Apostolicæ immediatè subiecit §.3. De crimine vt inquiri possint decreuit, §.4. Eorumdem authoritatem præfiniuit, §.5. Præcedentiamq; §.6. Ac stipendium, §.7. Contrarijs derogauit, §.10. Hanc constitutionem hic Pont. renouauit, §.11. Supradictus Clemens d. eius bullam omnino exequi iussit quibuscumque non obstan. §.13. & seq. Et idem Paulus eamdem innouat, §.15. Cardinalis Saulius dicti Ordinis Protector consulto eodem Clemente nonnulla dubia exorta circa prædictam illius bullam declarauit, §.17. & seqq. Capitulum generale de anno 1602. decreuit dictos Assistentes ius habere ferendi suffragium in Comitijs generalibus, & locum ibi post electos habendi, §.21.

Schol. primum.

Quæro. Inconsulto Papa, prædictus Cardinalis vti Protector potuisset ne declarare dubia?

RESP. Non, quia limitata est cuiuscumque Protectoris Religionum potestas in eorum deputationis literis, vt dictum est supra in huius Pontificis const. 53. pag. 243.

Schol. secundum.

Quæro. Stante illa clausula derogatoria contrariorum de qua in §.13. (& de hoc pluries te volui interrogare) erat fortasse necessaria derogatio Concil. Trid.

RESP. Negatiuam sententiam probauit Rota coram Pamphilio in vna Sancti Angeli pensionis die 16. Decemb. 1594. Et ita seruatur in Curia. Siquidem d. Concilium in fine præseruat auctoritatem Papæ, & propterea dum aliquid statuit contra d. Concilium ei non derogat, sed vtitur facultate Papæ reseruata, & ita sentit etiam Roder. Quæst. Reg. to. 3. q. 39. art. 5. tenuitq; Rota in vna Bononien. Prioratus 9. Iunij 1596. coram R.P.D. Manzanedo & Gonzal. super reg. 8. Cancell. de Mens. & Altern. glos. 6. sub nu. 120.

VI. aliàs XCIV.

Edita Anno 1616.

AD Sacram B.Petri Sedem, & infra, pag. 63. Bullarij.

COMPENDIVM.

Pro fæliciori Congregationis Monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti regimine, statuit, Monasteria, quorum redditibus duodecim Monachi computatis oblatis, & famulis sustentari possint, regi debere per Abbates. §.1. Alia quorum fructibus sex ali possunt per Priores gubernari. §.2. Abbatibus decedentibus Priores succedere decernit. §.3. Ipsorumq; priuilegia declarat. §.4. Alia membra prædictis Monasterijs annexa familiam constituere vetat, quousque ad formam maioris Monasterij redigantur. §.5. & 6. Clausulas præseruatiuas apponit. §.7. Et decretum irritans. §.8. Contrarijsq; derogat. §.9.

Schol. primum.

Quæro. Oblati fortasse differunt à Monachis, vt videtur innuere textus in §.2. vbi diuerso nomine appellantur?

RESP. Regulariter differunt, c. Non est 7. vbi Panorm. & alij notant de Regular. & in c. 3. de success. ab intest. sed in proposito huius Bullæ, Oblati potuissent dici de familia Monasterij, vt consulendo dixit Feder. de Sen. consil. 273. vers. Ad tertium.

Schol. secundum.

Quæro. Quid si quis se oblatum offerat Monasterio, & tria vota substantialia emittat in manu Abbatis?

RESP. Adhuc Monachus non efficitur, quia prædicta fecit vt arctius viueret vti oblatus, & latè probat Nauar. cons. 49. lib. 1. de Regular. num. 3. & seqq. pag. mihi 552. in impressis de anno 1610. & post alios Rod. de Quæst. Regular. to. 3. quæst. 21. art. 1.

VII. aliàs XCV.

Edita Anno 1616.

PAstoralis officij cura nobis, & infra, pagina 63. Bullarij.

COMPENDIVM.

Capitulum generale Cistercij vnam Congregationem in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Maioricarum, & Principatu Cathaloniæ per Vicarium generalem Visitatores, & Diffinitores regen. instituit, §.1. Authoritas tamen Abbatis, & Capituli generalis, & quattuor Abbatum Ordinis integra remaneat. §.2. Ipsiusq; Capituli Statuta seruare, contributiones dare, & duos Abbates cum in Capitulis in prouinciali Capitulo editis illa Congregatio transmittere debeat. §.3. Vicarius Visitatores, & Diffinitores statim electi, Abbati, & Capitulo generali non contradicere iurent. §.4. Eorum officium quadriennio terminetur. Abbates autem perpetui sint, §.5. Eorum electionis forma traditur. §.6. Abbas generalis, vel primi Abbates Ordinis, aut Commissarius à Capitulo generali destinandus d. Capitulo prouinciali præsidere possit. §.7. Alias nonnullas ordinationes d. Capitulũ generale propterea statuit. §.8. Quibus examinatis hic Põt. d. Congreg. erigit. §.9. Abbatesq; ad quadriennium duraturos, & certo modo eligendos esse decernit. §.10. Ab obediẽtia Generalis nullatenus discedere statuit. §.11. Commissarij prædicti auctoritatem declarat. §.12. & 15. Appellationem ad Generalẽ in rebus grauibus d. Congregationi permittit. §.13. Generalemq; vnum, & plures Iudices deputare posse. ibid. Contributiones à generali Cap. taxandas per eam solui iubet §.14. Opera Procuratoris generalis in Curia vti mandat, §.16. Cõgregationi non mittenti Abbatem ad Cap. generale pœnam imponit, §.17. Officialibus eligen. in d. Cap. Prouinciali iuramentum fidelitatis erga Ordinẽ non præstantibus, eorum electiones irritat. §.18. Ad d. Congregat. Monasteria Regni Nauarræ vnienda, & quartum Diffinitorem eligendum, Vicariumque generalem decernit. §.19. Vicario, Visitatoribus, & Diffinitoribus d. Congregat. dat facultatem edendi Statuta, quæ tamen in generali Capit. Cistercien. examinari iubet. §.20. Supradicta inuiolabiliter seruari præcipit. §.21. Clausulas præseruatiuas apponit. §.22. Et decretum irritans. §.23. Contrarijs derogat. §.24. Transumptis credi mandat. §.25. Abbatiarum vacantiũ quindennia Reuer. Cam. Apost. persolui decernit. §.26.

Schol. primum.

Quæro. Si quis non in re graui, vt præmittitur in §. 13. sed in alijs ad Generalem accederet tanquam grauatus nunquid fugitiuus dici posset?

RESP. Non, teste Bald. in cap. 3. de Appellat. nu. 4. & clarius Roder. lib. 1. Quæst. Regular. quæst. 300. artic. 3. Et ea est ratio, quod animus, & non fuga facit quem apostatam, vel fugitiuum.

Schol. secundum.

Quæro. Ex eo quod dicitur in d. §. 13. quod generalis possit Iudicem deputare, nunquid deputare cogetur?

RESP. Non, quicquid Iudicis potestati permittitur, id iuris necessitati subijcitur l. sæpe 8. & l. seq. ff. de offic. Præsid.

Præsid. & l. non quicquid. 40. ff. de Iudic. Verumtamen quia Papa direxit verba ad Iudicem per modum regulę, & in materia fauorabili, & in rebus grauibus verius est, quod cogitur, vt benè tradit Cuman. conf. 148. nu. 4. Bolognett. in l. 1. ff. de Iurisd. omn. Iudic. num. 21. vbi alios cumulat, & ibi de communi opioione testatur.

VIII. aliàs XCVI.

Edita Anno 1616.

EX iniuncto nobis desuper, & infra pag. 66. Bullarij.

COMPENDIVM.

Congregatio Clericorum sæcularium Doctrinæ Christianæ in Ciuitate Auinionis olim instituta, volens vniri Congregationi Clericorum de Somascha Capitula cum eis iniuit. §. 1. Quorum primum est, quòd Patres Doctrinæ Christianæ perpetuò retineant consuetudinem illam docendi cap. 1. Et Pater Cæsar de Bus habeatur pro institutore huius Instituti in Regno Galliæ cap. 2. Patres d. Doctrinæ vocentur Patres Doctrinæ Christianæ Congregationis Somaschæ, cap. 3. Viuantq; sub obedientia Præpositi generalis Somaschæ, qui eos singulis triennijs visitabit, & regentur à Prouinciali Gallo in Regno Galliæ, eligendo ex tribus nominandis in Capitulo generali Somaschæ à Capitulo Prouinciali Galliæ cap. 4. Quod d. Prouincialis, eiusque Socij munus sit, & authoritas describitur cap. 5. Et quis succedat eo decedente cap. 6 Et quæ spectent ad Capitulum generale cap. 7. Quiuè ad illud accedant cap. 8. Et hic Pont. voionem, & Capitula approbat, & regulas Congregationis Somaschæ ab omnibus seruari mãdat, excepto quòd Prouincialis prædictus exemptiones diurnas nonnisi ex causa concedat. §. 3. Vt professio emitti debeat declarat. §. 4. In statu Ecclesiastico Regni Galliæ superiores, etiam si Galli non sint, eligi posse permittit. §. 5.

Schol. primum.

Quæro. Congregatio Clericorum Somaschæ quando promota, & à Sede Apostolica approbata fuit?

R E S P. Minor è tua excidisse memoria, quòd Pius V. in sua Bulla 78. sup. pag. 57. to. 2. eam primùm approbauit.

Schol. secundum.

Quæro. Quo tempore alia Doctrinæ, Christianæ Congregatio Aueniони instituta fuit?

R E S P. Anno 1592. ope Vicelegati Auinionis erecta, & anno 1597. à Clemente VIII. approbata est, gratijsq; & Indulgentijs ditata, vt in eius authentico, quod nuper ad manus meas peruenit, & hic imprimen. duxi, percipere potes.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EXposcit debitum nostri Pastoralis officij, vt in eam curam nostræ solicitudinis partes intendamus, per quam Christi fidelibus ad doctrinam Christianam addiscendam via facilior aperitur, itaut in ipsis huiusmodi doctrina imbuti in dies crescat diuinorum obseruantia præceptorum.

Ann. 1592. in Ciuitate Auenionis istituta fuit Cógregat. doctrinæ Christianæ authorita te Vicelegati Papæ.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus nonnulli pij Christi fideles Auenionen. commorantes pro alijs Christi fidelibus in his, quæ ad Salutem sunt iuuandi desiderio ducti, & considerantes in ijs Hæreticorum, & Schismaticorum tenebris non solùm pueros teneros in doctrina Christiana educandos, sed & homines prouectos, & natu maiores doctrinæ Christianæ rudes in illa instruendos esse, ab anno Domini MDXCII. authoritate Venerabilis fratris Ioannis Francisci Episcopi Cauallicensis tunc in Ciuitate nostra prædictæ Auenionen. Vicelegati, vt pio huiusmodi exercitio vacarent, & in vinea Domini fructus aliquos producerent quãdam inter se Congregationem ad Christianam doctrinam rudibus edocendam instituerunt.

§. 2. Cuius congregationis fideles postea dilecti filij nostri Francisci Mariæ Sancti Bartholomei in Insula presbyteri Cardinalis, tuncq; Ecclesiæ Auenionen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis, ope, & fauore adiuti, in Ecclesia Sanctæ Praxedis Auenionen. & alijs quibusdam locis Comitatus nostri Venaysini hucusq; opus huiusmodi continuarunt, & adhuc magno cum fructu in illo perseuerant.

Et ope Episcopi Auenionis, & Card. in ipsa Ciuitate, & Comitatu Venaysini non nullum profecit.

§. 3. Cum autem idem Franciscus Maria Cardinalis nobis nuper exposuit messis multa sit, operarij verò pauci. Sintque ad tantum opus peragendum plures, & diuersæ personæ, & aliqui redditus annui pro earum sustentatione necessarij, ipsaque Congregatio nullos omnino redditus habeat, eleemosynæ autem refrigescente charitate ita raræ sint, vt vix ad trium, vel quatuor sustentationem sufficere possint. Et ideò si authoritate Apostolica huiusmodi Congregatio perpetuò institueretur, in quam homines in timore Domini enutriti tùm Ecclesiastici, tùm Laici in continentia vitam suam ducere proponentes, qui huic exercitio singulis Festiuis, & Dominicis alijs, si opus esset, diebus inuigilarent, reciperentur, ex hoc profectò pro opere prædicto admodum consultum esset.

Huiusmodo Pont. idem Card. supplicat pro perpetua d. Congregationis approbatione pro hominibus probatæ vitæ, vitam suã in continẽtia ducere proponẽtibus.

§. 4. Quare idem Franciscus Maria Cardinalis nobis humiliter supplicauit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos qui pijs operibus nostri fauoribus præsidium libenter impartimur, singulares dictæ Congregationis personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Congregationem præfatam, vt præfertur, erectam, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, seu quatenus ritè erecta non fuerit, de nouo vnam Congregationem Doctrinæ Christianæ nuncupandum in Ciuitate prædicta Auenionensis, in quam cuiusuis status, & conditionis, probatæ tamen vitæ, homines, dummodò in continentia viuendi firmum propositum habuerint, recipi possint.

Qui illam ita approbat, & sue de nouo erigit in d. Ciuitate Auenionis.

§. 5. Qui singulis Festiuis, Dominicis, & alijs, & cum opus fuerit diebus in Ecclesia Sancti Ioannis veteris nuncupati Ciuitatis nostræ Auenionensis ad hoc opus per nos institutum, & designatum, aut alijs Ecclesijs, seu locis per loci Ordinarium ad hoc designandis, pueros, & alios, cuiusuis ætatis Christianæ Doctrinæ ignaros congregari faciant, ibique eosdem, bonis moribus, personæ huiusmodi doctrina imbuant ac in articulis fidei instruant, eosque in viam mandatorum Domini, & Ecclesiæ dirigant & confirment, Presbyteri verò à locorum Ordinarijs ad id approbati confessiones audire: verbum Dei prædicare, & Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis administrare possint.

Munus d. Congregationis.

§. 6. Quæstus verò ex Laicorum prædictorum labore, & industria prouenientes cum cæterorum redditibus, tùm ex Clericorum eorumdem beneficijs Ecclesiasticis, ac patrimonijs, si quæ habeant, prouenientibus in arca communi reponantur vt exinde habeant quo sustentari possint.

Quæstus oẽs in communi arca reponi, & ex eo personas Congregationis sustentari præcepit.

§. 7. Eli-

Superiorē vnum eligi & ei ab alijs obediri iubet.

§. 7. *Elargiturque in huiusmodi Congregatione vnus ex dictis Presbyteris, qui caput & Superior sit, cuique reliqui obedire teneantur tàm in dicta Ciuitate Auenionen. quàm alijs locis quibuslibet vicinis Apostolica authoritate, tenore præsentium erigimus, & instituimus.*

Statutaq; pro Cōgregationis regimine cōdendi facultatē tribuit.

§. 8. *Ac Ecclesiasticis, & alijs nunc, & pro tempore existentibus dictæ Congregationis personis, quæcunque Statuta, & ordinationes, licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini non contraria, ac prosperum dictæ Congregationis statum concernentia ab Ordinario loci postea approbanda, condendi, & condita quando opus fuerit de dicti Ordinarij licentia mutandi, aliaque ad id necessaria, & opportuna faciendi licentiam, & facultatem tribuimus.*

Vt autem dictæ nunc, & pro tempore existentes huius Congregationis personæ pijs operibus promptiùs vacare studeant, & Christi fideles ad dictam Congregationem ingrediendam magis inuitentur, quo ex hoc dono cœlestis gratiæ conspexerint se vberiùs esse refectos De Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur die eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, & in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter verè pœnitentes, & confessi, sacraque Communione refecti fuerint, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem verè contriti nomen Iesu ore, vel corde inuocauerint, etiam plenariam, ac tàm ipsis iam descriptis, & in dicta Congregatione describendis, quàm alijs vtriusque sexus Christi fidelibus etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac Sanctissima Communione refectis, qui prædictæ Congregationis Ecclesiam, vel Capellam in festo Annunciationis Beatæ MARIÆ Virginis à primis vesperis vsque ad occasum solis eiusdem festi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem nunc, & pro tempore existentibus in dicta Congregatione descriptis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Ecclesiam, vel Capellam in secundo Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, omnium Sanctorum, & Epiphaniæ Domini festiuitatibus à primis vesperis vsque ad occasum solis festiuitatum huiusmodi piè visitauerint, & ibi vt præfertur orauerint, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties verò doctrinam Christianam, vt præfertur docuerint, aut Missis, & alijs diuinis Officijs in dicta Congregatione pro tempore celebrandis, & recitandis, seù Congregationibus publicis, vel priuatis eiusdem Congregationis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem cum inimicis proprijs, vel alterius composuerint, seù componi fecerint, vel procurauerint, necnon etiam qui corpora Defunctorum, tàm in Congregatione descriptorum, quàm aliorum ad sepulchrum associauerint, & quascunque per ipsam Congregationem processiones de licentia Ordinarij faciendas, dictumque Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, tàm in Processionibus, quàm ad Infirmos, aut aliàs vbicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur comitati fuerint, aut Campanæ ad id signo dato semel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus Defunctorum in dicta Congregatione descriptorum Christi fidelium recitauerint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes præcepta ea, quæ ad salutem sunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus pro descriptis in Congregatione prædicta perpetuo, pro non descriptis verò Christi fidelibus ad decennium dumtaxat valituris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Decembr. MDXCVII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Dat. Pont. an. 6. die 23. Decembris.

IX. XCVII.

REgis pacifici quamquam, & infra pagina 68. Bullarij.

Edita Anno 1616.

COMPENDIVM.

Sixtus IIII. Constitutionem suam edidit contra affirmantes hæreticum esse, aut peccatum mortale Beatam Mariam Virginem in sua Conceptione à peccati originalis macula præseruatam fuisse, vel non fuisse cum nondum id esset à Sede Apostol. & Romana Ecclesia decisum, §. 1. Quam Constitutionem innouauit Concil. Tridentin. §. 2. Pius V. postea in popularibus concionibus de hoc articulo disputare, aut vulgari sermone scribere, vel dictare in eius constitut. 114. de qua supra pagina 68. tom. 2. vetuit §. 3. In Academijs autem, & Capitulis, vbi nulla occasio scandali subesset disputari permisit, §. 4. Quia tamen mox super prædictis nouæ ortæ sunt quæstiones, hic Pont. easdem Sixti IIII. & Pij V. Constitutiones innouauit, §. 5. & 6. Transgressoribusque pœnas auget, §. 7. Et Episcopis Prælatis Superioribus, & alijs locorum Ordinarijs contra eos procedendi facultatem tribuit, §. 8. Contrarijsque derogat, §. 9. Huiusque constitutionis publicationem Romæ factam vbique ligare decernit, §. 10. Transumptis eiusdem credi iubet, §. 11.

Schol. primum.

Quæro. Cur in §. 1. dicitur non fuisse articulum de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis decisum, si in Synodo Basileensi sess. 36. iam diffinitum fuit B. Virginem absque peccati originalis maculę conceptam fuisse?

RESP. Synodum illam non esse attendendam affirmo Nam ante d. sess. 36. discesserunt à vero Papa Eug. IIII. in sess. 34. & ille eam Synodum iam transtulerat ad Ciuitatem Ferrariæ, vt habetur in sua const. 11. sup. pag. 57. to. 1. Quicquid ergo ibi postmodum actum fuit, irritum est, & inane, vt in Concilio Lateranensi 5. sess. 11. & bulla 20. Leonis X. ibi firmata, quæ est supra pag. 57. tom. 1. in §. 6. Et etiam id supponit Concil. Triden. sess. 5. dum in cap. de Peccat. orig. obseruari constituit supradictam Constitutionem Sixti IIII. qui neutram opinionem damnat, & ideo iure merito Pius V. in præcitat. eius constit. 114. vtrumque permittit.

Schol. secundum.

Quæro. Cur ab Ecclesia nihil adhuc de fide diffinitum circa hunc articulum Conceptionis B. Mariæ Virginis?

RESPON. Dispositionis diuinæ inuestigare causas ob quas Ecclesiæ occultauerit hoc mysterium, nolens hanc veritatem à Sede Apostolica tanquam catholicam fidei assertionem diffiniri difficile admodum est, vt post alios sic nouissimè scribit Carthagen. Homiliar. lib. 1. Homil. 4. pagina mihi 21. vbi tamen subdit, quòd diuina sapientia hanc veritatem sub opinionum tegumento latere voluit, ne si rudes homines exploratum habuissent Beatissimam Virginem peccatum originale non contraxisse, illam Deum esse putarent. Et vt huius controuersiæ occasione stupenda B. Virginis encomia cum immortali eius gloria

in lucem prodeant. Scias autem quod post hanc Pauli Sanctionem aliud ab eodem emanauit decretum prohibens in quibuscunque actibus publicis asserere posse B. Virginem cum peccato originali conceptam fuisse, & deinde aliud à Sanctissimo D: N. D. Gregorio X V. editum fuisse decretum prohibens etiam in priuatis colloquijs id posse affirmari; Quorum quidem decretorum tenorem hic inserere non otiosum fore existimaui.

Feria iij. die 24 Maij Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi M D C X X I I.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali coram S. D.N. D. Gregorio Diuina prouidentia Papa XV, ac Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardd. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum Decretum alias editum à fœl. rec. Paulo V. eius Prædecessore Tenoris sequentis, videlicet.

Pauli V. decretū prohibens in actibus publicis asserere B. Virginē conceptā fuisse in pecca to originali.

Sanctissimus Dominus Noster post longam, & maturam discussionem auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum re accuratè, ac diligenter perpensa prouidè considerans, quod quamuis in Cōstitutione fœl. record. SIXTI IV. super CONCEPTIONE Beatissimæ Virginis MARIAE pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia Constitutione Sanct. mem. Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quòd scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis Ordinis, & Instituti Regularibus, & alijs quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiam si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessario mentio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscūque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit conceptā cum peccato originali; Contrafacientes autem eadem Sanctitas Sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis: Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vlterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur perinde, ac si præsens Decretum nō emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c.

HOC suo præsenti Decreto ex eisdem causis euitan. scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, &, vt accepit, in aliquibus Regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta, & mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eā relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. rec. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita; Eademq; Sanctitas sua voluit, & expressè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti IV. Alexādri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius Prędecessorum super Con-

Quod hic Sanctiss. Greg. XV. extēditur ad actus priuatos.

Et in reliquis seruādas esse aliorū Pōtif. constitutiones.

Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obseruentur perindè, ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper eadem sanctitas sua cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione Festũ solemniter,& Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis,tàm sæcularibus, quã cuiusuis ordinis,& Instituti Regularibus mandat, ac præcipit,vt in sacrosancto Missæ Sacrificio, ac diuino officio celebrandis,tàm publicè,quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit,& declarauit subiacere debere,& subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus,ac præfato Decreto suorum Prædecessorum ipso facto incurren. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, Decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac alijs quibuscunque in contrarium facientibus. Volens,& decernẽs pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiusuis Ordinis,& Instituti,etiã quomodolibet exemptos,& alias quascunque Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscunque status,conditionis,gradus,ordinis,aut dignitatis,tàm Ecclesiasticæ,quàm sæcularis,tàm Episcopi,& prælati superiores,alijq; ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis,vbique locorum deputati Inquisitores procedant,& in eos seuerè animaduertant, tribuẽs eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demùm, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit,quòd præsens Decretum,seù illius exempla ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,& in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent,& afficiant perindè, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent;quòdq; præsentium trãsumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis,& sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis,eadem prorsus fides adhibeatur,quæ pręsentibus adhiberetur,si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Et in diuinis Officijs celebrand. non alio q̃ Cõceptionis nomine vti debere.

Andreas de Pettinis S.R.& vniuers.Inquisit.Not.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo Indict.v. die verò secunda mensis Iunij Pontificatus Sanctiss.in Christo Patris, & D. N. D. GREGORII diuina prouidentia Papæ XV. Anno eius secundo supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,& in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Brandimartem Latinum S.D.N.Papæ Curs.

Octauius Spada Mag. Curs.

Aduerte tamen, quòd dum prædicta Sanctissimi D.N. GREGORII XV. imprimebatur Bulla,alterius eiusdem Sanctissimi superuenit notitia bullæ, qua priorem moderatus fuit, concedendo Fratribus Ordinis prędicatorum, vt inter se tractare possint de materia eiusdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis,prout infra

GREGORIVS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Edita Anno 1622.

EXimij,atque singulares fructus, quos Dilecti filij Fratres Ordinis Prædicatorum in militãti Ecclesia, cuius regimini diuina disponente clementia pręsidemus, attulerunt,& in dies afferunt, promerentur,vt eosdem Fratres, specialibus fauoribus, & gratijs, quantum cum Domino possumus,libenter prosequamur.

Proœmiũ.

§. 1. Aliàs siquidem fœl.rec.Paulus Papa V.prędecessor noster,post longam,& maturam discussionem,auditis votis Ven.fratrum nostrorum,tunc suorum S.R.E.Cardinalium cõtra hereticam prauitatem Generalium Inquisitorum,re accuratè,ac diligenter perpensa, prouidè confidetans,quòd quamuis in Const.fœl.rec.Sixti Papæ IV.etiam prędecessoris nostri,super Conceptione B.Virginis Marię, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita,à Sancta Tridentina Synodo innouata,& deinde in alia Constitutione Sanctæ memo.Pij Papæ Quinti similiter prædecessoris nostri super eadem re, quas idem Paulus prędecessor innouauit cum quibusdam prouisionibus,& adiectionibus pœnarum,pro efficaciori earum obseruatione,relinquebatur vnicuique libera facultas tenẽdi,& etiam asserendi vtramque partem, quòd scilicet fuerit,vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnaretur. Nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus,lectionibus,conclusionibus, & actibus publicis,quòd eadem B.Virgo fuisse cum peccato originali concepta,oriebãtur in populo Christiano,cum magna Dei offensa,scãdala,iurgia,& dissentiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit,& præcepit omnibus,& singulis cuiusuis Ordinis,& instituti regularibus, & alijs quibuscũque tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiusuis conditionis,status,gradus,ordinis,aut dignitatis,tàm Ecclesiasticæ,quàm sęcularis,etiam si specialis,specifica,& indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec Articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuisset diffinitus, vel per eundem Paulum prædecessorem,& Sedem Apostolicã fuisset aliter ordinatum, non auderent in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis asserere, quòd eadem B.Virgo fuisset concepta cum peccato originali. Cõtrafacientes autem dictus Paulus prædecessor voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pęnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum prędecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem idem Paulus prædecessor non intendit reprobare alteram opinionẽ,nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu,& terminis,in quibus tunc reperiebatur, pręterquam quoad supra disposita. Vlteriùs sub eisdem censuris,& pęnis mandauit, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali in pręfatis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnarent,nec de ea aliquo modo agerẽt, seù tractarẽt. Insuper voluit,& expresse mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum,in reliquis omnib. supradictæ Constitutiones firmæ,& illæsæ remanerẽt,& exactè obseruarentur perinde, ac si decretum huiusmodi nõ emanasset.

Pauli V. decretum habes in pag. preced.

§. 2. Nuper verò Nos sub die videlicet 24. Maij 1622. in Generali Congregatione Sãctæ Romanæ,& vniuersalis Inquisitionis,habita in palatio Apostol. in Monte Quirinali,coram nobis,& Cardinalibus præfatis,ex eisdem causis euitandi scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepimus, in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis,occasione assertionis affirmatiuæ,supra-

Sanctiss. Greg. XV. extẽsionẽ habes in dist. pagi. præced.

dictum Pauli prædecessoris Decretum extendimus, & ampliauimus etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandantes, & præcipientes omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec Articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Nos, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis, tamen quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen non intendimus reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquentes in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto dicti Pauli prædecessoris Decreto disposita. Voluimusque, & expressè mandauimus, vt in reliquis omnibus vbi huiusmodi Decretis non aduersantur Constitutiones Sixti, ac Pij, & Pauli præfatorum, necnon rec. mem. Alexandri Papæ VI. prædecessorum nostrorum, super Conceptione B. Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obseruentur perinde, ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper cum S.R. Ecclesiæ. de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solenniter, & officium celebret, Omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tàm sæcularibus, quam cuiusuis Ordinis, & instituti Regularibus, mandauimus, ac præcipimus, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac Diuino Officio celebrandis, tàm publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem volumus, & declarauimus subiacere debere, & subiecimus, censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto nostrorum prædecessorum, ipso facto incurren. Et ita decreuimos, & mandauimus vbique inuiolabiliter obseruari. Non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, Decreto præfato Pauli prædecessoris, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & singulis, quæ prædecessores præfati voluerunt non obstare, ac alijs quibuscunque in contrarium facientibus. Volentes, & decernentes, pro obseruatione, & exequutione nostri huiusmodi Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiosuis Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunque Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscunque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, tàm Episcopi, & Prælati superiores, alijque Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant; Tribuentes eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi.

Declaratio pro Fratribus Ordin. Prædicat. §. 3. Nunc autem, Nos eosdem Fratres Ordinis Prædicatorum, quos in visceribus gerimus charitatis, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusuis excommunicationis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Omnibus, & singulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cætero in quibuscunque priuatis eorum colloquijs, seu conferentijs, inter se dumtaxat, & non inter alias, aut cum alijs, de materia eiusdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis disserere, & tractare, absque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incursu, liberè, & licitè, possint, & valeant Apostolica auctoritate, tenore præsentium, licentiam concedimus, & impartimur. Decernentes fratres præfatos à quoquam quauis auctoritate desuper molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse, aut debere, sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiã causarum Palatij Apostolici Auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus singulis præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Anulo Piscatoris, die 28. Iulij 1622. Pontificatus nostri Anno Secundo. Dat 28. Iulij Pontific. Anno 2.

S. Card. S. Susannæ.

X. aliàs XCVIII.

QVoniam nemo debet assumere sibi honorem, & infra pag. 69. Bullarij. Edita Anno 1616.

COMPENDIVM.

Regularis vitæ institutio repugnare asserit, contendere mendicatis sæcularium præsertim suffragijs ad dignitates promoueri, in procem. Prohibet ideo Monachis Congregationis Cœlestinorum Officia Religionis suæ conquisitis extra eam fauoribus, illicitisq; vijs procurare sub multis pœnis, §. 1. Vetatq; Superioribus d. Congregationis fauoribus extra eius gremium attentis aliquem ad illa officia admittere, §. 2. Declarat irritas promotiones aliter factas, §. 3. Et ita, & non aliter iudicari mandat, §. 5. Contrarijsq; derogat, §. 6. Hanc bullam in singulis, d. Congregationis domibus regularibus, & Capitulis generalibus, seu Dietis legi, & lectam omnes ligare decernit, §. 6. Eiusque exemplis credi mandat, §. 7.

Schol. primum.

Quæro. Quo primum tempore ambitus, legibus prohibitus reperitur?

RESP. Anno ab Vrbe condita 397. vt latè explicat Tyber. Decian. tom. 2. sui tractat. criminal. lib. 8. cap. 22.

Schol. secundum.

Quæro. Dic tandem cur eiusmodi Genitoris tui Pontificiarum legum, diplomatumque, & rescriptorum collectio, Bullarij nomen sortita est?

RESP. Bullæ significatio multiplex est, vt recenset Rebuf. in Prax. Benef. 10 tit. Tertia Pars Signaturæ, §. nunc videamus. Petrus Greg. lib. 17. Syntagm. iur. cap. 15. nu. 21. & in Decretalib. in tit. de Rescript. cap. 45. lib. 1; Grauat. ad Vestriom in Pract. Rom. Cur. lib. 1. cap. 4. ou. 13. & nouissimè Sebastian. à Costa in suo Commentat. super Bulla Cruciatæ quæst. 1. vbi antiquiores cumulat. Sed vsu, & consuetudine Romanæ Curiæ vsurpatum est, vt Bulla Pontificum diploma significet, eo quod à Bulla plumbea chordis pendentibus affixa, & SS. Petri, & Pauli Apostolorum capita insculpta habente, firmamentum recipiat secundùm prædictos, & apud Curiales tritissimum est. Hæc itaque collectio, in qua plurima extant eiusmodi diplomata, Bullæ nuncupata, Bullarij nomen sortita est.

Ad indiuiduæ Trinitatis, gloriosissimæ Mariæ Virginis, ac SS. Petri, & Pauli Apostolorum, & Benedicti, ac Scholasticæ patronorum laudem, & gloriam sempiternam; Flauius Cherubinus.

FINIS.

INDEX

Alphabetico ordine contextus.

VERBORVM, ET MATERIARVM

Quæ in toto hoc opere continentur refertissimus:

In quo aduertendum, quòd numerus post Tomum, paginam indicat.

A

eiusdem

Eius

B

Bire-

C

Camal-

in

Cle-

Con-

Com-

Com-

Indul-

D

Debi-

Dispo-

E

Con-

Eorum-

Epi-

Excom-

Ere-

Fru-

G

H

Hæ-

Eas

I

Inco-

Infi-

Ita-

L

Lex

Lite

M

Me-

S. Ia-

Eorum

Mona-

Eiusdem

N

Pij

m Eisdem

O.

Offen-

m y clefijs,

Eorum

P

Pij

Præ-

Prouiſio

Reli-

Regum

S

ii Serui

n iij Studij

T

Tabellæ

Teſtes

V

Ven-

Spolio-

Visi-

X

Z

FINIS.

I N D E X.

Notabiliorum Errorum, qui in impressione totius Operis euenerunt.

Ex Tomo I.

		Errata		*Corrige*
Celest 3. const. 3. pag 9. vers. 1. schol. 2.		istinc		isti
Innoc. 3. const. 2. pag 9. vers 3. schol. 1.		causa		causa
Eiusdem const 7. pag. 13 vers 5. schol. 2.		Archiepiscopo clarus		Archiepiscopo charus
Eiusdem const. 8. ibid in principio constitutionis		Vt viuendi nostram		vt viuendi normam
Eiusdem ibidem vers 8. schol. 1.		Eremiticam actus		Eremiticam acturos
Greg. 9 const. 5. p. 14. vers 3. schol 1.		Decius Bernonis		De cuius Bernonis
Eiusdem const 6 ibid. vers. 8 schol 1.		Secus vero si ex		Secus vero si non ex
Eiusdem const 13. pag 16. vers 1. Compendij		Friderici XI.		Friderici II.
Innoc 4 const 5. in vers 2 Compendij		fontis		Montis
Eiusdem const. 8 pag 18. post vltimum vers Compendij			supple	schol. 1.
Vrban 4. const. 7. pag 28 vers 9. Compendij		obseruantiarum		obseruandam
Clem. 4. const 9 pag 30 post vltimum vers. schol. 2.			supple	schol. 2.
Bonific 8. const. 4. pag 35 vers 1 schol. 2.	ante verbum	Poterunt	supple	Quaero. Poteruit
Ioann. 22. const 4. pag. 38 vers 8 schol 2.		Honorio		Henrico
Eiusdem const 8 pag 39 vers. 2. Compendij		Apostolicae de facto		Apostolicae loca de facto
Martin 5 const. 1 pag 52 vers. 8. schol 1.		Angeleri		Angeli
Eug 4. const 3 pag. 55 vers. 7. Compendij		prohibet		prohibitus
Eiusdem ibid. vers. 1. schol. 1.		Quaero. In hac		Quaero. Cur in hac
Sixt. 4. const 7 pag. 71 vers 1 schol 1.		reuocatione		recusatione
Sixt. 4 const. 11 pag 72. vers. 4. Compendij		ieiuniorum auferens		ieiuniorum auferentis
Eiusdem const 17 p. 74 vers 9 schol. 2.		eligi		eligens
Innoc 8. const 3 p 76 vers 9. schol 1.		quia constituerit		quia annata constitutis
Adrian. 6 const 7. p. 106. vers. 1 schol. 1.		patronatus		iurispatronatus
Clem. 7. const. 32. p 116 vers 1 Compendij		tellari de eorum		gellari, & de eorum
Iul. 3. const. 16. p 136 vers. 6. schol. 1.		pugnantibus		praegnantibus
Paul. 4. const. 16. pag. 141. vers. 3 Compendij		omnisque		omnesque

Ex Toma II.

Pius 4. const. 52 pag 15. vers. 35. Compendij	absoluens	absoluendi
Eiusdem const. 65. pag. 20. vers 4. schol. 2.	excutionis	excommunicationis
Pius 5. const. 25. pag. 40. vers. 1 Compendij	quicquid maior	quicquid decreuerit maior
Eiusdem const. 118. p 69 vers 3 schol. 2.	nonatio	numeratio
Eiusdem const. 128 p. 73. vers 2. schol. 2.	Magister	Minister
Greg. 13. const. 38. p. 88. vers. 1 schol. 1.	Monialibus	Mulieribus
Sixt v. const 46. pag. 113. vers. 3. schol. 2.	adultera	adulterio
Greg. 14. const. 12. pag. 145. vers. 2. schol. 2.	prohibitionis appellatio	appellationis prohibitio

Ex Tomo III.

Clem. 8. const. 16. p. 5. vers. 2. Compendij	qui in Conclaui	qui aderant in Conclaui
Eiusdem const. 17. ibid vers. 2. schol. 2.	introductum	introductus
Paul. 5. const. 1. p. 39. vers. 7. Compendij	Pontificis in regenda	Pontificis praesidio in regenda
Eiusdem const. 39. p. 49. vers. 6. schol. 2.	conciliatruncula	conciliatricula

D. Angelus Cantinius Corrigebat.

VENETIIS, Ex Typographia Antonij Pinelli. M D C. X X I V.

SVPERIORVM PERMISSV.